Q. D. B. V.

DIVISIONEM IMPERII KAROLINI,

PRAESIDE
RECTORE ACADEMIAE VITEMBERG. MAGNIFICO,
CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,
Histor. Prof. Publ.

Specimine Academico disqvirendam exponet

In Auditorio Maiori

ZACHARIAS Zwantzig/
Schloettavia Saxo.

A. cIↄ Iↄc XXCII. PRID. EID. OCT.

CVM PRIVILEGIO EL. SAXON.

Disputatio III.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
M. DC. XCVIII.



I.



Vod per Caroli M.tempora latiſſime patuit Francorum regnum, tamdiu firmiter ſtetit et floruit, dum ab uno regebatur. Sed poſtqvam exemplo non utili diviſum eſt, ivit in partes, et bella deinceps exorta ſunt, qvae non minus familiam, qvam regnum illud confecerunt.

II. Omnino autem dubitare licet, utrum Carolus tenero erga filios affectui indulſerit, an rationem habuerit veteris Merovingorum diviſionis, ſuperiori Pipinianae Gentis conſvetudine repetitae, et proximo etiam avi patrisqve inſtituto confirmatae. Alterum iure infitior, alterum facile concedo, neqve cauſam video, qvamobrem excuſari poſſit Carolus, ſiqvidem dicere velimus, eum privata potius caritate, qvam publicis exemplis eo fuiſſe inductum.

III. Vtcunqve ſit: Caroli M. diviſio imprudentiae arguenda eſt, qvam tamen deinde fortuna correxit, mortuisqve Carolo et Pipino filiis, omnia regna iterum coniunxit, atqve uni Ludovico Pio transmiſit.

IV. At ne ſic qvidem hanc diviſionem probare poſſum, ideo qvod ejus ratio ab utilitate et robore imperii ſeiuncta eſt, ut maxime non reſpondeat exitus, et aliunde impediatur. Id enim fortuito, ac praeter dividentis inſtitutum accidit, neqve prudentiae in imperando ſitae convenit, nec laudem meretur.

 V.Tum

V. Tum vero in Italia adhuc superstes erat Bernhardus, Caroli M. ex Pipino nepos, cui regnum istud praeter et contra superiorem Germanorum consvetudinem relictum est, qvod deinde malo non caruit, nec parvum Ludovico Pio periculum attulit, cum auctore Bernhardo superiorum temporum concordia et tranqvillitas conturbarentur.

VJ. Magnus ergo, nec satis poenitendus error fuit, qvando amplissimum florentissimumqve hoc Francorum imperium divisit Carolus, qvod non dicam terrarum orbi, sed certe Europae, praesertim Christianae et cultae, iam subigendae, par et aptum videbatur.

VII. Sed nullum maius ex divisione damnum cepit respublica Francorum, ac post tempora Caroli M. Etenim Caroli Martelli *Maioris domus*, et Pipini regis errores meliores eventu, qvam consilio mutati emendatiqve sunt, postqvam sive morte, sive abdicatione, qvae mortem imitatur, ad imperium unius Francorum respublica rediit, pristinumqve robur recepit. Nam Carolomannus Martelli filius regno cessit, et sponte migravit ad sodalitatem sacram: nec multo post Grypho seditiosis conatibus seipsum evertit: postea Carolomannum Pipini filium mors abstulit, regnum uni Carolo M. addixit: et huius deinde filii Pipinus et Carolus fatis concesserunt, neqve diu superfuit Bernhardus Caroli filius, et regno pariter oculisqve privatus decessit. Qvibus rebus evenit, ut nemo restaret praeter Hludovicum pium, unum imperii Carolini, sed disparem potentiae heredem, *V. Annales Francorum Pithoeani ad A. DCCXLI. DCCXLVII. DCCLIII. DCCLXXI. Conf. Annales Fr. Fuldenses a Marq. Frebero editi, et Annal. Fr. ex bibliotheca iusti Reuberi, nec non annales Bertiniani.*

IIX. Inter hos nemo minus prudentiae opinionem sustinuit, qvam Hludovicus pius, qvi praeterqvam qvod artes belli

belli neglexit, in omnibus qvoqve vitae imperiiqve partibus incautus et infelix fuit.

IX. Ceterum Caroli M. testamentum, qvod ad divisionem imperii regniqve eius spectat, memoratur *ab auctore annalium Francorum, qvorum scriptor Moguntiae fuit et floruit, ad A. DCCCVI. consentiunt Adelmus Benedictinus, qvi in dioecesi Vangionum apud Orientales Francos vixit, ad annum eundem: Monachus Engolismensis in vita Caroli M. p. 268. iisdem verbis reddit. Integrum testamentum bona fide exhibent Petrus Pithoeus, qvi vitae Caroli M. ab Anonymo Engolismensi descriptae subiunxit, p. 283. seqq. Nec diversum extat apud Melch. Goldastum, in constit. imperial. T. 1. ad A. 806. Alterum Caroli M. testamentum reperitur apud Eginhardum de vita Caroli M. c. XXXIII. cuius pleraqve loca interpungenda esse, admonet codex antiqvissimus Vindobonensis apud P. Lambecium bibl. Aug. Vindob. lib. II. cap. 8.*

X. Ad confirmandum hoc testamentum accivit Francorum Ordines, qvorum permagna erat auctoritas in publicis regni negotiis, qvorumqve suffragio in comitiis atqve in rebus arduis utebatur, id qvod *placita* eorum temporum evincunt. *V. Annal. Fr. ad A. DCCCVI.* Non enim in speciem, aut commendationis gratia tantum reqvirebat assensum procerum, sed cupiebat, ut vim haberet, nec sine effectu esset.

XI. Nec modo optimates Franciae, sed etiam Leo III. Romanus Pontifex subscripsit et approbavit, cuius alioqvi in Carolum M. propensa voluntas extitit, saepeqve alias perspecta fuit. Non indigebat eqvidem Carolus assensu et auctoritate Romani Antistitis, si ultima haec voluntas solum ad Franciae regnum pertinuisset. At qvia etiam de successore Romani imperii agebatur, consulto adhibitus est Pontifex, tanqvam is, qvi praecipuus esset in senatu populoqve Romano, qvippe inter qvem atqve Carolum superioribus annis certa pacti ratione convenisset. Non enim est, cur existimem

Carolum id honori venerationiqve Pontificis solum tribuisse, qvando huius rei profundior graviorqve causa subest.

XII. Carolus enim hactenus erat Romanorum *Patricius*, eamqve dignitatem ab anno DCCLXXIV. tenebat ac tuebatur, qvem deinde anno DCCCI. cum nomine tituloqve *Augusti Imperatoris Romanorum* commutavit, postqvam Leo III. vice senatus populiqve Romani partes has egit, Carolumqve imperatorem solemni ritu consecravit. *V. Annales Fr. ad h. A.* verba haec sunt. *In die natalis Domini, ante confessionem beati Petri Apostoli, cum Rex ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, et a cuncto Romanorum populo acclamatum est: Carlo Augusto a Domino coronato, magno et pacifico Imperatori Romanorum, vita et victoria. Et post laudes more antiqvorum Principum adoratus est, atqve ablato Patricii nomine Imperator et Augustus est appellatus.* Eginhardus, Carolo a secretis, tunc affuit, literisqve mandavit, Carolum eo tempore *Imperatoris et Augusti nomen accepisse, de vita eius cap. XXVIII.*

XIII. De re ipsa et ritu consecrationis a Leone III. peractae, et acclamationis solemnis a populo factae omnes consentiunt *Francorum annales, scriptor vitae Caroli M. anonymus, Adelmus, Ado Viennensis, et seqviores Otto Frisingensis, Sigebertus et alii.* Nisi qvod Regino dissentit, et consecrationem hanc reiecit in annum DCCCII. Nulla hic in rationibus temporum pugna est, si exponitur, qvalis supputatio, Romanae, an Gallicae Ecclesiae intelligatur: qvarum illa a natali Christi, haec ab *Incarnatione* eius inchoatur, *apud Fr. Haraeum in annal. Brabant. t. 1. p. 52.*

XIV. Exinde perspicio, Patriciatum, qvatenus summi Romanorum Principis potestatem denotat, suscepto Augusti Imperatoris nomine, non extinctum, sed insigniori titulo commutatum, maioriqve splendore fuisse ornatum. Nam hoc indicant verba: *ablato patricii nomine, Imperator et Augu-*

stus

stus est appellatus. Non res, non imperandi ius et potestas, sed nomen ablatum est, atqve adeo nihil praeter nomen ampliioremqve titulum mutavit Carolus imperator creatus. Annales a Reubero editi pro ablato habent, *omisso imperii nomine:* certe ut designent, nullam rei potestatisqve amissionem esse factam. Monachus Egolismensis scribit: *Antea dominus Carolus vocabatur ab omnibus, Rex Francorum et Patricius Romanorum; sed post laudes a domino Apostolico more antiqvorum principum adoratus est, atqve ablato Patricii nomine, Imperator et Augustus est appellatus, apud Pithoeum p. 262.263.* Observandum est, seculo adhuc simplici titulorumqve parco, nomen *patricii* proxime a nomine regis Francorum fuisse collocatum. Sicut autem titulo *Patricii* dominum regium, ita nomine *Advocati defensionem armatam*, summamqve omnium rerum et regionum imperii administrationem complectebatur. Vocabula *domnus, Carlus*, rudem seculi morem, me non monente, satis demonstrant.

XV. Petrus de Marca, antistes Parisiorum doctissimus, longe aliter existimat, et qvanqvam Caesare Baronio sincerior cordatiorqve est, tamen evincere annititur, non patricii, sed imperatoris nomine summum ius in Romanos delatum esse ad Carolum M. *cum antea patricii Romanorum iurisdictione tantum frueretur. Vno verbo, e magistratus tribunali evectum esse Romae ad solium Principis, de concordia sacerdotii et imperii lib. II. cap. 2.* Laudat ibidem *Eginhardum in Annalibus*, qvi nullos Annales scripsit. Deinde ex iis adducit verba, qvod Carolus, *omisso Patricii Romanorum nomine, imperator et Augustus appellatus sit.* Sed priora illa, *omisso Patricii Romanorum nomine*, in codice Eginhardi non leguntur: neqve dubito, qvin ex annalibus Francorum desumpta Eginhardo per incuriam vindicarit.

XVI. Qvod rem ipsam attinet, summum ius in Romanos altius repetendum est, ut acqvirendi eius verae rationes cau-

causaeqve intelligantur. Qvae ita se habent. Agebatur annus DC CLXXIV. cum ab EpiscopisRomae congregatis, praeter ius eligendi Pontifices, Romanae urbis principatus, titulo patricii, ad Carolum M. deferretur. Inter eos erat praecipuus Hadrianus I. idemqve primarius civis Romanus, et SPQR. interpres. Ratio huius concessionis sita fuit potissimum in grato officio, qvod ingentibus Caroli M. meritis rependi aeqvum iustumqve videbatur. Iam enim urbi a Graecis destitutae, qvasiqve derelictae imminebant Langobardi, occupaturi etiam, nisi Carolus supervenisset, captoqve rege Desiderio, urbem pariter et ecclesiam liberasset. Igitur regnum Italiae armis, sed patriciatumRomanum diverso iure acqvisivit, pactoqve convento non magistratum duntaxat, sed summum ius potestatemqve titulo Patricii est consecutus. *V. Monachus Reicherspergensis ad A. DCC LXXIV.* Spectatqve huc antiqvissimum fragmentum, qvod ex manuscripta Anastasii historia ecclesiastica superest apud decretorum compilatorem Gratianum *can. 22. dist. LXIII.* Hoc fundamento nixus Leo III. Hadriani I. successor, *claves Petri et vexillum urbis*, certissima summi iuris in Romanos indicia Carolo M. nondum consecrato imperatori transmittere statutum habuit, *apud Monachum Egolismensem p. 257.* Igitur iam tum iure patriciatus hanc potestatem Carolus M. habuit, neqve aliter intellexit ac declaravit Leo III. Pontifex, *apud Gratianum can. 23. ibidem.* Neqve puduit Carolum M. titulis regiis subiungere titulum Patricii Romanorum, qvem sine dubio volebat esse *characterem* insignioris potestatis. Nemo enim tam absurdus sit, ut credat, Carolum M. in eo titulo qvaesivisse duntaxat simulacrum dignitatis et pompam, qvippe qvae ab eius seculi more abhorrebant. Itaqve documentum erat summi iuris, et verus character Romani principatus, qvem nomine tituloqve Patricii Carolus M. obtinebat. *Imprudenter Jacobus Chifletius patri-*

triciatum Caroli M. ad maiordomatum retulit, non distingvens potestatem regiam a munere regni.

XVII. Robertus Bellarminus non satis sibi constat, et nimis audax est, qvando nihil non conqvirit et tentat, ut probare possit, totum hoc Romanorum imperium, qvod pervenit ad Carolum M. Leoni Pontifici acceptum esse referendum, *lib. 1. cap. 5. de translatione imperii Romani.* At hoc repugnat superiori pacto, et summo iuri per id acqvisito, qvum clerus populusqve Romanus, et cum utroqve Pontifex Patriciatum Principatumqve Vrbis in Carolum M. facto SCto transtulerunt. Qvod cum non posset nescire Bellarminus, mox arcessit praesidium a testamento Caroli M. per Leonem confirmato. Verum ita non conficit, qvod vult, qvoniam approbatio testamenti ad rationem prudentiae et securitatis pertinebat, et reqvirebatur a Leone III. non ut ab effectore, nedum ut a datore et domino imperii Romani, sed ut a primario cive et membro senatus populiqve Romani. Nam ante Leonis huius pontificatum Carolus cum clero atqve populo pactus est, et ab utroqve principatum urbis obtinuit, atqve adeo iure huius pacti nixus, Hludovicum *imperialis nominis heredem constituit, apud Eginhardum de vita Caroli M. cap. XXX.* Cautior callidiorqve est Caesar Baronius, et testamento Caroli M. ex bibliotheca Pithoeana prolato asserit, Carolum Leoni discernendum reliqvisse, ut cui vellet Pontifex, imperium daret, *in annalium ecclesiasticorum tomo nono ad A. 806.* Cui expresse et directo adversatur Eginhardus, qvi consiliorum Caroli omnium conscius, testamentum ab eo confectum Romam pertulit, *in adducto capite XXX.* Ne id nunc addam, qvod ab eventu *coronationis* colligit Marcus Antonius de Dominis, qvum affirmat Ludovicum, patre mortuo, *sola eguisse coronatione, libr. VI, cap. 11. de republica ecclesiastica.* Id qvod omnino verum est, et plane constat ex annalibus Francorum *ad A. DCCCXVI. collat: cum A. DCCCXIII.* Id vero non scri-

psit accurate Spalatensis antistes, qvod de acqvisito armis imperio tradidit, ratus, *titulum imperatoris non iure belli acqvisivisse, sed imperium ipsum, hoc est, terras et regna imperii omnia, qvae supererant in Occidente.* Primo enim ius imperandi hic spectari oportet, qvod Carolus M. non belli titulo, sed pacto acqvisivit, confecto eam in rem SCto, *de qvo vid. Melch. Goldastus Const. imp. tom. I. A. Ch. 774. et in replicat. pro imperio cap. XIII.* Deinde radix et sedes imperii Roma Caroli armis non subacta est, atqve adeo ius belli hic locum non habet. Neqve Carolus recte nominatur omnium regnorum *absolutus dominus*, neqve ipsius acqvirendi modus tantum continetur iure successionis, et belli, ut putat *Archiepiscopus Spalatensis.* Nam praeterqvam qvod non conversim dicuntur *rex hereditarius, et absolutus*, etiam admitti debet ratio acqvirendi ex pacto, qvam perperam omittit Spalatensis.

XVIII. Etsi autem Italiae regnum armis partum esse, ultro concedimus, tamen non est, cur dubitemus, separatas a Francorum regno habuisse rationes. At enim Petrus de Marca in aliam ivit sententiam, et auctoritate Hadriani fretus putavit, Francorum Langobardorumqve nationes in unum regnum coaluisse, *lib. II. cap. 2. de conc. sac. et imp.* Ante omnia hic observari debet, regnum Langobardorum bello fuisse qvaesitum. Regnum contra Francorum successione, saltem temperata, constabat, et diversum qvoqve titulum retinebat. Non possunt autem non diverso iure censeri, qvae cum plura diversitatis indicia habent, tum inprimis alio atqve alio acqvirendi modo tituloqve distingvuntur. Verbum *adunandi* scriptores medii aevi dissimiliter usurpant. Eginhardus, atqve ex eo Adamus Bremensis ea significatione adhibet, qvam Marca intendit. Vterqve enim dicit *Saxones Francis adunatos, ille de vita Caroli M. cap. 7. hic lib. I. cap. 7. H. E.* Qvod vetus Poeta Saxonicus de gente et populo unius reipublicae exponit, et assensu suo excipit Monachus Corbeiensis

iensis lib. 1. annal. Sax. Id vero hic locum non habet, qvoniam Hadrianus hoc vocabulum porrigit ad omnes Imperii Carolini populos, qvorum pleriqve, ut Romani, separatam a Francis rempublicam constituebant, ut Senatus populusqve Romanus: alii salva libertate, in Francorum regnum coalescebant, qvod Saxonibus evenit, qvos sine dubio qvoqve designavit ac innuit, dum *omnis Hesperiae occiduaeqve partis barbaras nationes* nominavit, atqve ibi Langobardos, hic Saxones potissimum intellexit, qvi moderante sedem Hadriano I. ad coetum Christi pariter, atqve ad Francorum rempublicam accesserunt, *V. Annales Fr. ad A. DCCLXXV. et DCCLXXXV.*

XIX. Neqve rationes prudentiae civilis patiuntur, ut cum Marca sentiamus, qvod firmo divisionis Carolinae argumento stabilimus. Nam regnum Italiae seiunxit a Romanorum imperio Carolus, et natu minori filio attribuit, duxitqve eo loco, qvo ducere solent victores regna armis occupata. Atenim Franciae non innexuit, neqve adunavit, qvandoqvidem ab ea separatum esse voluit, et reipsa etiam, facto testamento, separavit. Vnde non modo consilium voluntatemqve separandi elicimus, sed actum eventumqve huius rei evidenter designamus. Neqve id non evincunt *tabulae testamenti Carolini §. Italiam vero.*

XX. Amplius hinc colligimus, Carolum M. non voluisse, nec potuisse omnibus regnis suis hanc legem dicere, ut pari et eodem iure regnarentur. Etenim prudens sciensqve distingvit regna et regiones ex diversa causa acqvisitas, qvod sine dubio intelligebat, non licere per rationes iuris, ut talis lex pacto dicatur, invitis paciscentibus, qvippe qvorum voluntas intentioqve semper et necessario, velut regula qvaedam spectari debebant. Proinde senatus populusqve Romanus, qvi pacto dominium Carolo M. cessit ac tradidit, invitus astringi non poterat, ut cum Francis in unam rempublicam

coalesceret, qvippe qvi ex aliâ causâ regno Caroli subiecti erant, ac diverso iure censebantur. Multo minus aliis Europae Christianae populis lex dici potuit, ut Imperii Carolini arbitria seqverentur, nedum ut in eius fidem ditionemqve redigi se paterentur. Qvanqvam confecto Saxonum bello, regna Septentrionis vix tuta esse poterant, Britonesqve, datis obsidibus, eum plusqvam comiter habere coeperant, et aditus iam usqve in Hispaniam patebat. Vid. *Eginhardus de vita Caroli M. cap. VII. IIX. IX. X.*

XXI. Johannes Mariana tradit, Alfonsum Hispaniae regem, prolis expertem cogitasse de hoc regno in Francos transferendo, idqve consilium eo pertinuisse, ut totam Hispaniam e Maurorum iugo eriperet ac liberaret, *de rebus Hispan. lib. VII. cap. 11.* Cuius sententiae alii, nec vulgares Hispanici scriptores accedunt. Nec diffiteor, Francorum Principes et reges inde a Carolo Martello usqve ad Carolum M. ad Saracenos ab Europa depellendos plurimum attulisse: sed regni Hispaniae adipiscendi causa venisse ad Alfonsum, pactionemqve cum eo de successione in regnum fecisse, nulli, praeterqvam Hispani, affirmant. Eginhardus Alfonsum Gallaeciae et Asturiae regem Carolo amicitia et societate coniunctum memorat, et producto vocabulo Aldefonsum vocat, *cap. XVI. de vita Car. M.* Praeter eum de pacto hoc tacent omnes antiqvi, neqve suspecti Francorum scriptores, qvi a temporibus Caroli M. usqve ad aetatem Friderici II. historiam condiderunt. Multo minus approbari potest, qvod Hispani tradunt, Carolum, orto ea ex causâ bello, armis Alfonsi fuisse superatum. *Rodericus Sanctius hist. Hispan. part. III. cap. 9. Rodericus Toletanus de reb. Hispan. lib. IV. cap. 10.* Qvae omnia non modo incerta, sed etiam falsa sunt, et actis horum temporum plane adversantur. Inter recentiores nostram opinionem probat Joannes Philippus Vorburgicus, qvi tametsi Caesaris Baronii vestigia secutus, de Caroli M. summo in Romanos

manos iure perperam scribit ac iudicat, tamen hic veram, et consentaneam antiqvis monumentis sententiam tuetur, in *histor. volumine decimo pag. 91.*

XXII. Alioqvi certum est, Hispanos universè sumptos nunqvam coaluisse cum Francis, et, qvod Mariana scribit, non Maurorum magis, qvam Francorum servitutem timuisse, *lib. VII. cap. 11.* Idoneum inde peti argumentum potest ad refellendos *monarchiae universalis* architectos, qvi persvadere cupiunt, Francorum leges et iura omnes orbis Christiani nationes et gentes obligare, ut uno imperio, aut unius certe imperii arbitrio se regi patiantur. Vnus enim populus, qvi suis institutis utitur, alii populo, paris conditionis et libertatis, nihil praecipere, nedum invito ius constituere potest. Nam qvi suis legibus vivit populus, non tenetur iure eius reipublicae, extra qvam consistit: multo minus adigi debet ad unius populi placitum contra ius fasqve omnium populorum admittendum, siqvidem eiusmodi sit, ut saluti gentium adversetur, et pax qviesqve populorum turbetur, securitasqve imperiorum, sublata *praescriptione*, tollatur.

XXIII. Sicut autem per id tempus Hispani Francis metam obicemqve regni posuerunt, ita Franci postea conversam moderandae potentiae rationem adhibuerunt, Hispanisqve regem suae gentis, vel minimum sibi obnoxium in Francia creari cupientibus, atqve hoc obtentu amicitiam necessitudinesqve inde a Clodovaeo M. contractas exaggerantibus contradixerunt, palamqve affirmarunt, *recusare se regem exterae nationis, apud Angelum Galluccium de bello Belg. lib. II. conf. Iac. Aug. Thuanus histor. lib. CVI. Petr. Berthault. in Flor. Franc. lib. IV. cap. 37.*

XXIV. Qvamobrem non accurate, nec caute tradunt, qvi arbitrantur, Caroli M. leges cum totius orbis Christiani obligatione fuisse coniunctas. Atenim in diversum tendit Goldastus, et plane non dubitat, qvin ea mens Carolo M. fuerit,

cum anno DCCCXIII. Aqvisgrani promulgaret constitutiónem, qvae ad Brittones, Gothos Hispanosqve pertineret. Qvae etiamnum integra superest, et laudatur ab eodem, *in repl. pro imperio c. XV.* et bona fide adducitur *in const. imp. tom. III. ad b. a.* Sed Gothos Hispanosqve non intelligit alios, qvam qvos per occasionem belli Saracenici et Vasconici e tyrannide et perfidia ereptos cum ditione Francica coniunxerat, qvorum trans Pyrenaeum sane insignis Cisiberanae Hispaniae tractus in Caroli M. ius potestatemqve venit, sed Astures et Gallaeci Alfonso, reliqvi, et inprimis diutissime Baetici, Saracenis parebant, *Eginbardus cap. IX. et XV.* Brittones designat Cismarinos, qvi multis ante seculis ex antiqvo Britanniae regno egressi, Britanniae Cismarinae nomen dederunt, *cap. X. conf. Annales Francorum A. DCCLXXXVI. et DCCXCIIX.* Qvam, Carolo M. defuncto, rebus novis studentem in ordinem redegit Ludovícus Pius. *V. Annales Franc. A. DCCCXIIX.*

XXV. Nimium digredior hactenus, et proinde ad divisionem redeo, eamqve novam et magis perniciosam exponere instituo, ut vera et idonea conversi Francorum imperii causa perspiciatur. Decesserant, velut confecto Romuli seculo, Pipinus et Carolus M. postqvam Numae aevum auspicatus est Ludovicus pius, atqve ita se gessit, ut sacro ordini, qvam imperio aptior existimari posset. Affirmat Theganus, in sacro studio, et *psalmodia* occupatum, atqve in lectionibus assiduum, hoc unum, et nihil fere aliud egisse, aut agendum suscepisse, et credulum nimis, ac ut res ipsa indicat, simplicem fuisse, et consiliariis atqve episcopis nihil non indulsisse, *de gestis Ludovici Imperatoris cap. XX.* Hinc spreta auctoritas, nomenqve regnantis eviluit, et cura ac disciplina belli neglecta est, et ducum praefectorumqve desidia invaluit, superiorisqve aevi gloriam commutavit. Omnium malorum, qvae evenerunt, cáput fuit divisio, qvae a Ludovico pio imprudenter facta, et deinde ob filium ex altero connubio natum inauspi-

cato mutata, animos trium priorum filiorum diſtraxit, et defuncto patre, diſſidia magis auxit. *Annales Francorum ad A. D CCC XXI. ſeqq. D CCC XXVII. cum qvibus conſ. Aimoinus, Theganus, et alii.* Non capio, qvamobrem vir praeclare doctus Io. Iſacius Pontanus Ludovicum pium, qvo regnante potentia Francorum inſigniter deminuta eſt, florentiſſimo ſeculo includat, *orig. Franc. lib. V. cap. 8.* Nam rempublicam tunc valde prolapſam ſcriptores eorum temporum indicant ſatis.

XXVI. Planius loqvendum eſt, ut imprudentia dividentis, et calamitas exinde orta apertius intelligantur. Etenim ſemel et iterum erravit Ludovicus Pius, imperiumqve bis partitus eſt, et priori diviſione, qvae de multorum ſententia in annum *DCCC XVII.* incidit, ſucceſſores et reges appellavit Lotharium, Pipinum, et Ludovicum, qvi deinceps Germanicus dicebatur. Poſterior anno *D CCC XXXVII.* facta narratur, qvum pro amore et ſtudio in filium natu minimum, qvem ex altera coniuge Iuditha ſuſceperat, reſciſſa priori ſententia, qvam ordines iureiurando confirmaverunt, optimam regni partem Carolo, qvi Calvus nominatur, aſſignavit, magnumqve procerum et filiorum odium ea re ſibi conflavit. *Vid. annales Francorum D CCC XVII. D CCC XXXVII. D CCC XXXIIX DCCCXXXI. Annales Bertiniani, vita Ludovici pii, et Theganus c. XXXV. In Chronologia ordinanda aliqvi diſſentiunt, tabularumqve publicarum fide nixi priorem Ludovici pii diviſionem anno D CCC XV. includunt, inter qvos ſunt eruditi viri, Beslius et Blondellus.*

XXVII. Interea Pipinus, cui ex ſuperiori partitione regnum Aqvitaniae obtigit, e vita exceſſit, relicto eiusdem nominis filio et ſucceſſore Pipino, qvem Carolus calvus, qvi ex altera Ludovici pii diviſione Franciam occidentalem conſecutus eſt, regione mulctavit, Aqvitaniamqve ipſi ereptam ditioni ſuae adiecit. Non melius cum Pipini fratre Carolo actum eſt, qvi cum inviſendi cauſa in Aqvitaniam cogitaret, ex itinere retractus Carolo calvo deditus, tonſusqve et ſacro ordini

dini aſcriptus, perpetua cuſtodia aſſervatur. *Annales Franc. ad A. DCCCXXXVII. et DCCCLI.* Carolus poſthac ſedi Moguntinae praefuit, *apud Petrum Merſſaeum in annalibus Archiep. Mogunt. Conſentiunt Gaſpar Bruſchius in Catalogo, et Nicolaus Serrarius in annal. rerum Mogunt. lib. IV. pag. 651.*

XXVIII. Atenimvero poſt Ludovici pii exceſſum omnis fere Francorum Carolini generis concordia deſiit, bellumqve civile, qvod gliſcebat hactenus, repente exarſit, omnesqve huius imperii vires imminuit et conſumpſit. Nam ut acerrima propinqvorum odia ſunt, altiusqve inſident, ita magis concitant impelluntqve animos, et ſanata etiam, opinione citius recrudeſcunt. Lotharius antehac fratri Ludovico Germanico concors, pariqve aemulatione Carolo iuniori infenſus, ſuſcepto deinde Romanorum imperio, ius in fratres ſumere ſibi voluit, ut arbitrio beneficioqve ſuo omnes eorum res ordinaret, et qvas vellet, partes utrisqve aſſignaret. Sive autem Auguſta dignitas, cuius heres a patre Ludovico ſcriptus erat, ſive maior aetas, cuius alioqvi inſigne momentum eſt, ſive alia regnandi cauſa Lotharium incitaret, reſiſtebant tamen eius voluntati fratres, et nihil tale imponi ſibi patiebantur. His ſuperiora exempla et prior Ludovici pii diviſio ante oculos erant, mutuaqve concordia et foedus, conſiliaqve et vires procerum, qvos ſibi obnoxios habebant, Francorumqve mores praecipue animos fecerunt. Lotharius ſuprema patris ſententia nitebatur, eamqve ex miſſis regni inſignibus colligere, et aliis perſvadere cupiebat. Sed illi iuſtam hereditatem, ſic interverti ſibi qverebantur, ſumptisqve armis pro iure ſuo pugnabant, congreſſiqve acie, florem Franciae et robur atterebant, atqve iis rebus efficiebant, ut aeqviori diviſione haec controverſia tranſigeretur, Aqvitania autem Pipino relinqveretur. *Annales Francorum A. DCCCXXXIX. DCCCXL. DCCCXLI. DCCCXLII. DCCCXLIII. Ado Viennenſis* indicat, Ludovici Pii conſilium de regno ad Lotharium I. deferendo fuiſſe mutatum,

qvod patrem a se abalienasset, et vix aegreqve regni partem obtinuisset. Est ergo tripartita haec divisio, passim celebris, et Viroduni promulgata. In transitu hic mihi venit in mentem argumenti, qvod ex divisione in plures partes facta afferri potest ad castigandum *Isidori Hispalensis locum*, *qvi extat in eius Chronico ERA DLIX.* Nominat ibi *Francorum reges qvinqve Caesaraugustam obsidentes*, qvi scire debuit, apud Francos tunc solum qvatuor reges fuisse, atqve vel hoc uno indicio fraudem alienae manus et fucum interpolatoris Isidori nunc ostendi et agnosci posse.

XXIX. Potissima erroris culpa in Ludovico pio residebat, qvi vel indulgentia, dum iniurias celerius condonaret, vel negligentia, dum regni negotia omitteret, vel salicitate sua, dum Iudithae consilio nimis obseqveretur, regnum in discrimen adduxit, omnemqve prope suam auctoritatem evertit. Occasionem infelicis indulgentiae repetunt a dolore, qvem ex superiori severitate erga Bernhardum nepotem concepisset, ut deinceps eum huius facti poeniteret, filiisqve adeo peccati veniam, et lenitate hac peccandi licentiam daret. *Annales Francorum A. DCCCXVIII. et Theganus cap. XIII. Ioannes de Bussieres Fl. histor. ad an. 814.*

XXX. Dum haec fiunt, Mauri se infundunt in Italiam, et occasionem dissidii in commoda sua vertunt, atqve oras imperii depraedantur. Barholomaeus Scala Eqves Florentinus hanc Maurorum irruptionem refert ad Ludovici pii tempora, qvibus inter eum atqve Lotharium filium multae et graves dissensiones extiterunt. Scite enim scribit: *Auctores sunt, non convenisse per id tempus Ludovico imperatori cum Lothario filio, ac per eam occasionem aggressos Italiam Mauros, in historia Florentinorum, qvam pro summo in literas amore ac studio transmisit Cl. Magliabechius lib. II. p 53.* At scriptores rerum Francicarum affirmant, Hlutario imperante Mauros traiecisse in Italiam, et vexandae eius fecisse initium, et urbe Roma

prohibitos, expilasse S. Petri templum. *Annales Francorum ad annum DCCCXLVI. ante qvem fatis concessit Ludovicus pius.*

XXXI. Qvum respublica his dissidiis non leviter turbaretur, Abotriti irruebant in Saxoniam transalbinam, qvae Francorum provincia erat, nec eadem libertate cum cetera Saxonia fruebatur. Vix enim Ludovicus pius divisionem auspicatus est, qvum Veneti fines eos vastare incipiunt, excitisqve Danis calamitatem augent. *Hinc Scriptor vitae Ludovici pii tradit sequentia. Postqvam Imperator (Ludovicus pius) in eodem placito filium primogenitum Lotharium, Imperatorem appellari et esse voluit, et duorum filiorum suorum, Pipinum in Aqvitaniam, Ludovicum in Baioariam misit, (ut scilicet sciret populus, cuius deberet potestati parere) statim ei Abodritorum defectio nunciatur. Qui cum filiis Godefridi* (regis Danorum) *amicitias iungentes, Saxoniam transalbianam vexabant.* Qvibus facilis opportunusqve aditus ad Holsatiam fuit. *Vita Ludovici pii edit. Pith. p. 369. 370.* Hi Obotriti ab Adelmo numerantur in Slavis Orientalibus *ad Ann. DCCCXXII.* In Caroli M. fide obseqvioqve manserunt, sed ab eius excessu, arrepta dissidiorum et neglecti limitis occasione, desciverunt.

XXXII. Magnus in eo Ludovici pii error cernitur, qvod duces comitesqve suo fere arbitratu agere partes, et obire munia permisit, qvorum aliqvos ambitio, aliqvos ignavia corrupit, ut vel nihil modicum cuperent, vel belli studia omitterent, vel turbida consilia foverent. Leges qvidem latae sunt, qvae eos officii admonerent, neqve eas praetermisit Hincmarus Remensis, idemqve in Ludovici pii aula et rebus consiliisqve Francorum apprime versatus antistes. *Qvi autem,* inqvit, *post Regem populum regere debent, id est, Duces et Comites, necesse est, ut tales instituantur, qvi sine periculo ejus, qvi eos constituit, qvos sub se habent cum iustitia et aeqvitate gubernare intelligant, atqve cum bona voluntate, qvod intelligunt, adimplere procurent. Ep. c. 10. et 15.* Sed haec

tam

tam circumſpecta regendi ratio et diſciplina Ludovici pii aevo ſenſim paulatimqve imminuta, ac deinde inclinatis filiorum rebus magis prolapſa, et deniqve fatum occaſumqve Carolinae ſtirpis ſecuta, pariter expiravit.

XXXIII. Omnium maximus atqve formidoloſiſſimus erat Normannorum impetus, qvo Francia diu et vehementer turbata eſt, qvarum irruptionum hic fuit exitus, ut Carolus calvus datis muneribus diſceſſum eorum paciſceretur. Cuius deinde nepos Carolus ſimplex, armis viribusqve impar, et conſilii inops, ſedes ipſis apud Seqvanam attribuit, ceſſaqve Neuſtriae parte longum et anceps bellum non glorioſa pactione finivit. Qvod eſt initium Normanniae Gallicae, cuius *ducatum* primus ſuſcepit Rollo, eumqve transmiſit ad ſucceſſores, qvem ducentis et ſexaginta fere annis tenuerunt, poſtqvam Philippus Auguſtus repetiit, Franciaeqve rurſum coniunxit, *Sigebertus an. 486. 853. 866. 875. 882. 888. Robertus Gaguinus hiſt. Franc. lib. V. Cl. Molinet ad Stephani Tornacenſis epiſt. CXLVI.*

XXXIV. Magna autem cumprimis rerum Francicarum converſio accidit poſt *Fontanidicum* praelium, qvod anno DCCCXLI. commiſſum, et magna utrinqve ſtrage finitum eſt, ut tradunt omnes eorum temporum ſcriptores, niſi qvod aliqvi annum DCCCXL. conſtituunt et ſignant. Annales Pithoeani Francorum ad *ſeptimum Kalend. Iulii* referunt hanc pugnam plane fatalem et exitu foedam. Simul et indicans, poſt hominum memoriam non editam fuiſſe tantam Francorum ſtragem. Itaqve Barbari animis ſublati, regionum limites praeſidio nudatos invadunt, et per occaſionem illius diſcordiae et cladis in viſcera regni progrediuntur, qvos viribus animisqve diſtractis, vix repellere, nedum domare potuerunt. Eadem res Ordinibus regni profuit, et ſpem conatumqve altius enitendi adiuvit, ut inclinata Carolini generis fortuna, ſuam qvisqve potentiam augeret.

XXXV. Haec deinceps proceribus erat via et prensandi et suscipiendi regni, postqvam filii Ludovici pii de imperii divisione acerrime certarant. Qva peracta, eqvidem concordia instaurata est, sed ab eo tempore divisa haec regna nunqvam coniungi, multo minus pristinae adunataeqve vires recuperari potuerunt.

XXXVI. Cum hoc pacto imperium inter se partiti essent fratres, qvilibet eorum Rex Francorum appellatus est, nemoqve in alium potestatem habuit, sed suam qvisqve partem suo et pari iure tenuit, atqve eam ob causam *Pares* appellatos fuisse constat. Sed Imperatoris Augusti titulus Lothario I. singulariter et solum attributus est, adeo ut huius ratione praerogativam cum insigni veneratione coniunctam retineret. Declarat hoc eventus illorum temporum, qvibus Carolus calvus nomen Imperatoris magnae auctoritatis esse ultro agnoscit et fatetur, Lothariumqve fratrem ut natu maximum veneratur et colit, dum moderationem prae se ferret, *apud Nithardum lib. I. et II.* Sed Lotharius I. nomine tituloqve Imperatoris omnia in se trahere, fratribusque leges dare cupiebat, et victus inclinatusqve ad pacem, ex capite huius tituli aliqvid ultra tertiam partem in regni divisione a fratribus suis petebat. Id qvod *testatur praecipue Nithardus: conf. Annales Pithoeani, Bertiniani, Metenses, et Ado Viennensis.*

XXXVII. Verum ille Imperatotis Augusti titulus non dabat ei ius in fratres, qvippe ex divisione et pacti formula pares, sed summum duntaxat in Romanos dominium complectebatur. Igitur summum Franciae imperium triplicem Franciam continebat, occidentalem, orientalem et mediam, atqve ab imperio Romanorum ac regno Italiae, sive Longobardia distingvebatur, diversumqve erat.

XXXVIII. Necdum incepto desistebat Lotharius I. victusqve sibi non temperabat, qvin ius, qvod sibi arrogabat,

per-

perseqveretur. Id qvominus perficeret, res adversae impediebant, et ambitionem pertinaciamqve eius frangebant, ut clam de pacis compositione cogitaret, fratribusqve aeqva divisione satisfaceret. Initio qvidem inter eos non conveniebat, neqve expedita huius rei conficiendae ratio in promptu erat. Itaqve negotium in aliud tempus dilatum, et tandem apud Virodunum est transactum. *Hinc annales Francorum an. DCCCLXIII. Apud Virdunum Galliae civitatem, tres Reges mense Augusto convenientes regnum inter se dispertiunt: et Hludovicus qvidem Orientalem partem accepit Karlus vero Occidentalem tenuit, Hlutarius, qvi maior natu erat, mediam inter eos sortitus est portionem. Iacobus Marchantius pacificationem Virodunensem vocat, eamqve in annum 844. reiicit, in Flandriae descript. lib. II. p. 182. At nostra supputatio congruit praedictis annalibus, et omnibus fere antiqvis monumentis.*

XXXIX. Qvae pactio ut firma rataqve esset, mutua iurisiurandi religione munita est, nec paucae difficultates obiectæ sunt, priusqvam coalesceret, eo quod Lotharius I. nimia regnandi cupiditate incensus, aeqvis postulatis resisteret, tempusqve traheret, et more suo tergiversaretur. Praeclare id pro captu seculi, et integra fide enarravit *Nithardus lib. IV.* Distributas regni portiones ea, qva decet, diligentia consignavit auctor annalium Bertinianorum, cum reliqvi annalium scriptores generatim nimis et cursim hanc tam insignem memorabilemqve divisionem perseqvantur.

XL. Si ratio prudentiae incunda est, apparet, Lotharium praecipiti festinatione corrupisse fortunam, nec vitae regniqve servasse modum, et vehementi ferociqve ingenio irritasse fratres, et invitos stimulasse ad arma, ac utrorumqve ditioni obnoxios commovisse Ordines, hactenus leniori patris Ludovicii pii imperio assvetos, eorumqve alienasse animos, atqve initia regni contra regnandi prudentiam duxisse ab

 am-

ambitione et severitate. Parum abfuit, qvin cogeretur minimus natu Carolus, ut fortunae cederet, Lotharioqve obsecundaret, nisi Ludovicus Germanicus cum reliqvis Franciae proceribus tuendam huius divisionis causam suscepisset. Memorat Nithardus Lotharium I. rebus his non bene gestis, iram Dei pariter, et iniusta sua facta agnovisse, *hist.lib.IV.*

XLI. Postqvam enim divisio semel recepta, et a Ludovico pio etiam probata ac repetita erat, unius deinde arbitrio et importuna regnandi cupiditate convelli non potuit, qvando ea in re cum iuris, tum honoris ratio versabatur. Hinc Ludovicus, qvi superioribus annis Lothario sociatus odit oppugnavitqve Carolum, nunc ab illo aversus, hunc foedere sibi coniunxit ad repellendum Lotharium, qvi maiori animo, qvam prudentia bellum fecit, fratresque infestavit. *V. annales Francorum, Nithardus, atqve inter recentiores doctus diligensqve rerum Brabanticarum scriptor Petrus Divaeus lib. IV.*

XLII. Non tamen propterea excusaverim Ludovicum pium, cuius divisio omnes horum temporum dissensiones factionesqve peperit, qvas firma et constanti voluntate declinare potuisset. Idcirco eius pietas ab administratione imperii distingvenda est, ne idem mihi eveniat, qvod *Francisco Balduino*, qvi cum de *legibus ecclesiasticis atqve civilibus Constantini M.* tradidit, tum fere omnia eius laudanda, vel minimum excusanda esse censuit, et simul inutilem perniciosamqve ipsius divisionem approbavit. Ac ille qvidem ea re fuit Ludovico pio similis, qvod Faustae coniugi nimium indulsit et credidit, ut *in epitome indicat Sextus Aurelius Victor.* Non enim fuit Iuditha melior, et consilia suggessit, unde seditiones natae sunt, qvae magnas deinde calamitates excitarunt, *Annales Fuld. DCCCXXXIX. DCCCXL. DCCCLXI. Regino innuit qvoqve Iudithae libidines, Chron. l. II. A. DCCCXXXIIX. Iohannes de Beka* illicitum matrimonium vocat, in *Catal. Episcop. Traiectens. VII. et IIX. Iohannes Nauclerus Iudithamomnium*

ma-

malorum originem appellat, chronograph. vol. III. gen. XXVIII.

XLIII. Inter haec crevit Pontificum auctoritas, atqve excessit venerationis modum. Non enim satis, nec secure habere sibi videbantur Romani Antistites, nisi ad effusas superiorum temporum donationes cumulum adiecisset Ludovicus pius. Qvo tempore non tam aperiendus, qvam obstruendus erat liberalitati aditus, hoc magis, qvod Paschalis I. Ludovici pii patientia abutebatur. Qvi tametsi non expectata Imperatoris confirmatione consecratus est, tamen hoc exemplo ius convelli non potuit, idqve agnovit deinde Pontifex, factumqve purgavit. Igitur fides abroganda est narrationibus, qvae de cesso confirmationis iure circumferuntur. Nullae enim tabulae in hanc sententiam extant, nec donatio rerum temporumqve veritati congruit, qvae legitur *in C. ego Ludovicus Dist.* LXIII.

XLIV. Retinuit profecto Ludovicus summum urbis dominium titulo Imperatorio ad se pertinens, atqve ius confirmandi Romanos Pontifices transmisit ad filium nepotemqve Lotharium et Ludovicum II. *Vid. Marq. Freberi commentarius ad Othonis III. donationem p. 41. et Paulus Sarpius tr. de materiis beneficiariis ex versione Caroli Caffae pag. 64.* Proinde Leo Ostiensis, qvi aliqvot seculis post tempora Carolina scripsit, et *Cassinense Chronicon* composuit, nullum cessi iuris confirmandi documentum profert, et prodit se studio ac assentatione erga Hildebrandum. Vt alia omittam, tacent ea de re omnes Ludovico pio aeqvales et suppares scriptores, et loci temporisve argumenta non qvadrant, nec instrumentorum exempla consentiunt, stylusqve et subscriptio indicant fraudem. Sed qvam nos fictam et falsam, eam contra veram germanamqve esse Ludovici pii constitutionem, *post Caesarem Baronium, affirmat* Iohannes *Cabassutius in Notitia Ecclesiastica p. 339.*

XLV. Caetera Ludovici pii acta non vocamus in dubi-

bium, et debile eius iudicium, potentiamqve diminutam, et aevo paterno dissimilem, prudentiamqve tantae rerum et regnorum moli imparem ultro confitemur. Sed longe aliud ingenium Lothario I. contigit, qvippe qvi potentiae famaeqve nimis serviebat, tituloqve primogeniti et Imperatoris non modo anteire fratres, sed etiam subiicere sibi cupiebat. *V. Hincmarus Remensis epist. I. cap. 4. et Nithardus iam saepe eam in rem adductus, qvi fratrum dissidia, et causas gnaviter enarravit.*

XLVI. Qvod hucusqve magna animi contentione egit destinavitqve Lotharius I. id deinde morum consiliorumqve mutatione facta, in dolorem atqve miserationem vertit, qvando eum belli intestini atqve superiorum actorum ita poenituit, ut, qvod nemo speraverat, sponte imperio se abdicaret. Non multo aliter evenit Carolo V. qvem rerum in Germania conversarum deinceps taeduit, finemqve molestiarum et portum atqve perfugium in fano S. Iusti qvaesivit. Haud dubie autem Lothario in mentem veniebat tristium infeliciumqve bellorum, et ingratae necessariaeqve pacis, qvam cum dedecore suo coniunctam existimabat, aegreqve ad hanc faciendam adducebatur. Neqve iam admissorum immemor, neqve fortunae suae ignarus erat, qvum rebus seculi nuncium mittebat. Praeterire non debeo, qvod scribit in Chronico Iohannes de Beka. *Lotharius Imperator tyrannidem Danorum expugnare neqviens, et soli Deo militare desiderans, de consensu principum terrae Ludovico primogenito suo dedit imperium, ac in Prumiensi coenobio sacrae religionis suscepit habitum, ubi sub monastica disciplina sacram professionem fecit.* Per Danos intelligit Normannos, qvorum crudelitate permotum esse dicit Lotharium, ut de imperio decederet, seculoqve renunciaret. Sed hoc non congruit rationibus temporum, propterea qvod Normanni sub id tempus tota Francia excesserant, atqve adeo nullum

Lo-

Lothario metum incutere, neqve causam abdicationi dare poterant. Abdicavit enim anno DCCCLV. Lotharius, in qvo consentiunt *annales Francorum Pithoeani, Regino abbas eius monasterii, qvod intravit* Lotharius, *Sigebertus.* At vero anno priore DCCCLIV. Normanni bello intestino commissi confectiqve, ad sedes domosqve patrias remigrarant.

XLVII. Priusqvam hoc fiebat, nova et superioribus consiliis contraria ratione usus est Lotharius I. et vires Francorum, superiori divisione inclinatas, magis distraxit et labefactavit, regnoqve in tres partes distributo, Ludovico maiori Italiam cum imperii dignitate, Lothario iuniori Austrasiam, recentiori huius aevi vocabulo dictam Lotharingiam, Carolo natu minimo Burgundiam, cum parte Provinciae addixit. *Regino ad A. DCCCLV. Otto Frisingensis lib. VI. cap. 2.*

XLIIX. Hic fuit Lotharii I. sive taedio, sive poenitentia rerum praeteritarum ad sacrum Ordinem conversi exitus, cuius pietatem, religionisqve studium impense laudavit *Servatus* Lupus *in epist. CIIX.* Consentit *Hrabanus Maurus, idemqve* Lothariani *epitaphii auctor,* qvi hunc Imperatorem propter sapientiae artiumqve amorem commendavit, *in opusculo, qvod de anima inscribitur.* Observo, scriptores huius aevi multis elogiis ornasse Lotharium I. qvi sine dubio respexere tempus, qvo pace cum fratribus inita mores et animum mutavit. Vnde intelligi potest, qvamobrem a Carolo calvo alieniores sint, qvem belli studia, qvae doctis religiosisqve viris ingrata sunt, avertebant. Qvorsum spectat exemplum Lupi, necessitatem proficiscendi in bellum deprecantis, *in epist.* LXXVII. *ibidem Cl. Stephani Baluzii notae.* Qvanqvam et alia causa suberat, qvae plerosqve etiam scriptores Francos a Carolo calvo abalienavit, praesertim iniustitia, qvam partim opere declaravit, qvando totum Lotharii regnum ditioni suae coniungere voluit, imperiumqve Romanorum intercepit. *Vid. Otto Frisingens. Chr. lib. VI. cap. 6. et praecipue annales*

Francorum Fuldenses ad A. DCCCLXXV. DCCCLXXVII, qvorum fides et auctoritas convelli non debet, etsi in argumento historiae controverso proximi et suppares Carolinae aetatis scriptores ideo negligendi non sunt, et inprimis qvoqve alias Bertiniani annales legi merentur.

XLIX. Posthaec Ludovicus II. imperium a patre Lothario I. abdicatum tenuit, cuius frater Lotharius iunior, repudiata uxore Thietberga, mox poenitendi divortii documentum praebuit, et aliqvanto post sine herede decessit. Cuius regnum qvin ad Ludovicum II. Imperatorem pertineret, dubitari non poterat, nec causa deficiebat, cur iniustis Caroli calvi conatibus obniteretur. Sed illo intra belli metum orbitatisqve fastidium nihil movere auso, Ludovicus Germaniae rex, patruusqve ipsius, aeqvam regni divisionem a fratre Carolo calvo postulat. nunciisqve missis significat, nolle se cedere suo iure. Iamqve res ad arma spectabat, nisi Carolus calvus iusto aeqvove modo in divisionem consensisset, fratremqve rei militaris peritum et fortem, bellisqve praecipue Slavicis et Normannicis egregie defunctum placasset. Igitur anno DCCCLXX. habitus apud Marsanam conventus, et instituta regni Lothariani divisio, et datis acceptisque sacramentis firmata est, qvam *Regino* Prumiae abbas monumentis commendavit. *Conf. Aimoini appendix, qvae ex annalibus Bertinianis confecta est, et charta Pithoeana p. 488. et 489. inter recentiores Christoph. Brovverus in annal. Trevirens. lib.* VIII.

L. At vero ea portio, qvae Ludovico Germanico ad Marsanam, ex pactione cum Carolo calvo inita obvenit, interpellante subinde Ludovico II. Imperatore, vehementerqve annitente Ingelberga eius coniuge, non satis caute, sed tamen ex capite aeqvitatis restituta, non diu apud verum legitimumqve heredem permansit, sed eo sine virili prole extincto, ad superiorem paciscentem Ludovicum Germanicum,

cum-

eumque iure agnationis proximum rediit, atqve hoc vivo, deinceps nihil ex parte Lotharingiae disceptatum fuit. Sed postqvam Ludovicus II. Imperator virilis sobolis expers decessit, irae aemulationisqve materiam Ludovico Germanico, et Car. calvo fratribus reliqvit. Mox lis de Romanorum imperio coepit, qvod iure qvidem spectabat ad fratrem natu maiorem Ludov. Germaniae regem, et moribus hactenus ita receptum erat, ut in eo capiendo inde a primo acqvirente aetatis praecipue ratio haberetur. Atenim vero Carolus calvus in occasionem intentior praevertit, et SPQR. largitionibus conciliato, et inprimis annitente Iohanne IIX. augustam dignitasem praeripuit, atqve anno DCCCLXXVI. consecratus primordia imperandi coepit. Eodem anno e vita migravit Ludovicus Germanicus, cuius morte audita Carolus calvus magis elatus est, perinde ac si, amoto eo obice, nemo deinde futurus esset, qvi sibi obsisteret, et armatum impedire posset. *Annales Fuldenses A. DCCCLXXV. DCCCLXXVI. Regino, Sigebertus. Annorum supputatio plerunqve metachronismis conturbata est, prout apparet in Chronico Reginonis, cuius Chronologiam fere seqvitur Sigebertus Gemblacensis, ac saepe discrepat ab annis, qvi numerantur in annalibus Franc. Pithoeanis et Fuldens. Etiam in genealogia* Ludovici II. I*mperatoris error est apud Raphaelem Volaterranum, duos illi filios tribuentem, lib.* III. *commentariorum Vrbanorum. Nullam enim sexus virilis prolem genuit, atqve hac de causa orbitatem ipsi assignamus, non ignari alioqvin filiae Hermingardis, qvam ex* Lutgarde *uxore suscepit.*

LI. Dehinc maior flagrantiorqve cupiditas incessebat Caroli calvi animum, iamqve imperio, qvod astu interceperat, non contentus, ad reliqvam regni Lothariani partem aspirabat, perinde ac si divisio superior non attineret Ludovici Germanici filios, sed cum patre eorum statim extincta sublataqve esset. Ita modum non habet ambitio, et cum fortuna

meliori vires sumit, sangvinisqve iura utilitati posthabet, et fidem pactorumqve religionem contemnit. Nil enim gravius accidere potuit superstitibus Ludovici regis Germaniae filiis Ludovico iuniori, Carolo et Carolomanno, qvam qvod vix elato funere, et vixdum rationibus paternae hereditatis recte confectis, patruum tam iniqve secum agere viderent, et malo suo experirentur. Prima Ludovico iuniori cura fuit, precibus inflectere Caroli calvi animum, tum more rudis creduliqve seculi *iudicio Dei* experiri, postremo, omni spe restitutionis adempta, ius ab armis sumere, ut nihil sive culpa, sive desidia sua committeret, qvod sibi fratribusqve fraudi esset. Proinde collatis cum patruo signis, iusti belli fructum cepit, et pariter aeqvitate causae, ac gloria rei gestae superior fuit. Multi in eo praelio desiderati, nec pauci capti abductiqve sunt, et vix evasit ex periculo Carolus calvus, atqve eo rerum statu ad mitiora inclinatus, consilia patruelium, regnum paternum dividere volentium, probavit, ac deinceps acqvievit. Hinc ratione instituta Lotharingiam, qvae superiori divisione Ludovico Germanico cesserat, partiti sunt, ut superior eius pars Carolo crasso, inferior Ludovico iuniori obtingeret, reliqva hereditatis portio Carolomanno attribueretur. *Regino in Chronico A.* DCCCLXXXVI. *Franc. Gvillimannus de reb. Helvet. lib. II. Christoph. Browerus annal. Trevirens. lib. VIII. Addendum hic de Ludovico Germanico, atqve huius filio Ludovico iuniori, eos in tabulis historiisqve Carolinis nunqvam appellari* Imperatores Romanorum, sive Imperatores Augustos. Qvamqvam longe aliter existimant recentes qvidam, et ignari mediae aetatis scriptores. Nec tamen infitior, eos qvoqve interdum nominatos esse Imperatores, qvi revera Romanorum imperium non habuerunt, qvod vel solum Ludovici Balbi exemplum indicat, qvi vulgo qvidem, sed perperam in Romanorum Imperatorum serie collocatur. *Sigebertus in Chron. an. 878.* Aubertus Miraeus nihilominus probare studet, Bal-

buin

bum *in Imperatorem fuisse coronatum, in annal. Belg. ad an. 878. idqve auctore Aimoino, lib. V. cap.37.* Sed is, aut potius eius *Continuator* de coronatione imperatoria nihil tradit, scribere contentus: *et post haec coronatus* Ludovicus *a Papa Ioanne VII.* al. VIII. vocant. Rectius omnino doctissimus Stephanus Baluzius *in Not. ad Petri Marcae de concordia sacerd. et imperii lib. VI. cap. 25.* Affert ibidem exemplum Caroli calvi, qvi tredecim annis prius, qvam Imperator Romanorum declaratus est, nomen Imperatoris sumpsit. Sed qvod addere mihi liceat, non sumpsit nomen Imperatoris Romanorum, prius qvam Romae Imperator est consalutatus. Neqve tamen ignoro, qvod apud Reginonem extat, Carolum calvum iampridem ante acqvisitum Romanorum imperium, *Imperatoris nomen a praesule sedis Apostolicae Ioanne ingenti pretio emisse, A. DCCCLXXVII.* Merum ergo sine re nomen habuit, anteqvam Romam secundum profectus est, et qvod diu multumqve destinaverat, tandem perfecit.

LII. Sublato scelere medici Carolo calvo, Imperium Romanorum rediit ad Ludovici regis propaginem, ex qva Carolus crassus Romanorum Imperator creatus est, in qvo vires corporis animiqve defecerunt, et vigor aviti generis pariter, atqve auctoritas Imperatorii nominis, et post tot casus aegre servata felicitas, prorsus a veteri fastigio recesserunt. Id temporis effusi iterum Normanni, per Galliam Belgiumqve immaniter grassati sunt, et tenera Caroli simplicis aetate, datam irrumpendi occasionem rati, multa vastitatis crudelitatisqve exempla ediderunt. Proinde Carolus crassus rex Francorum occidentalium constitutus est, qvi lapsis rebus opem ferret, hostesqve repelleret, et vim populationesqve arceret. Sed qvia hunc non minus salubre consilium, qvam fortuna destituit, de voluntate procerum regno privatus, spe retinendae coniunctim utriusqve Franciae excidit, et simul qvoqve Romanorum imperium amisit. Qvibus rebus evenit, ut Italia

 dis-

distraheretur factionibus; et mutua aemulatione Berengarius et Gvido de imperio contenderent, bellisqve omnia turbarent. In Arnulpho demum augusta dignitas concidit, et imperium tumultibus concussum et fractum finem habuit, qvando SPQR. illud a stirpe Carolina ad se reduxit ac revocavit, et interprete Formoso Pont. pro Gvidone sententiam dixit. Sed Arnulphus crassi ex fratre Nepos abnuit et aperte restitit, ac deinde Romam properavit, atqve ultimus Carolini generis Imperator inauguratus, supremum ius armis asseruit, et Formoso peragente solennia, imperii insignia suscepit. *V. Regino horum temporum scriptor A.* DCCCLXXXVII. DCCCXXXVIII. *seq. A.* DCCCXIV. DCCCXCVI. *Ex eo Sigebertus, qvi tantum in annis discrepat: ex utroqve Ludovicus Haraeus.* Sed hunc fefellit interpretatio Aimoini pariter atqve Carolum Sigonium, itemqve Franciscum Gvillimannum, Chr. Brovverum, et, qvem paulo ante adducimus, Aub. Miraeum, qvos *coronationem regiam ab imperatoria* distingvere oportuit, id qvod abunde colligitur ex *Iohannis IIX. et Hincmari epistolis*, atqve hoc etiam doctiores Galli ipsimet hodie agnoscunt et confitentur. De Carolo crasso addendum est, eum pro Carolo simplice administrasse Franciam occiduam, et tutoris nomine procurasse regnum, at aliqvanto post eius proceres atqve populum non invitos ditioni suae coniunxisse. Qvanqvam ne sic qvidem omne ius Caroli simplicis extinctum videri poterat, siqvidem ratio sangvinis et successionis haberi debet. Adhaec Neustrii, de qvorum cessione agebatur, Carolo Crasso reclamarunt, nec multo post obseqvium denegarunt, propterea qvod is potestate abutebatur, qvam ex occasione impuberis Caroli simplicis ad salutem commodumqve regni promovendum consecutus erat, *ut ex Paulo Aemilio constat.* Tum vero Carolus crassus, omnibus suis regnis cedere coactus, Franciam occiduam reliqvit in statu pristino, qvantum ad ius Caroli simplicis, qvod insecuta Crassi abdicatione

post-

postlimino convalescebat. Etsi deinceps multae et graves rerum temporumqve mutationes afflixerunt Carolum simplicem, qvae tamen non prohibuerunt, qvominus regnum iure sangvinis successionisqve ad se pertinens, annitente tandem ipsomet Arnúlpho, Caroli crassi successore, procerumqve consensu reciperet, armisqve perseqveretur, *Regino Ann. DCCCXCIII. et DCCCXCVIII. Otto Frising. Chron. lib. VI. cap. 12. et scriptores Francogallici recentiores Robertus Gagvinus, Paulus Aemilius, Iohannes Tilius, qvorum testimoniis consulto supersedemus.* Arnulphus eqvidem ex capite patrui, cui ob imbecillitatem animi et corporis curator successorqve datus est, praetendere ius potuit, sed qvia id neglexit, et Odoni regnum prensanti non contradixit, sed favit atqve consensit, vel non agnovit, vel temporum necessitati remisit. Ex his, opinor, lucem accipit *Claudius du Molinet*, Carolo simplici cessionem Neustriae tribuens, qvam alioqvi scriptores Carolini omnes Carolo crasso Imperatori tribuunt, *Vid. notae ad Stephanum Tornacensem p. 220.* Qvod recte habet, si Carolus Crassus tunc propinqvo suo tutoris nomine praefuit, qvi tamen deinceps ex tutore Franciae occiduae rex factus est, qvanqvam iustum aeqvumqve fuerat, ut Carolus crassus pupillo suo ex *contractu* tutoris legitime facto obligaretur, atqve adeo Carolo simplici citra suum factum ius sangvine successioneqve traditum ac derivatum certe in solidum non eriperetur. Sed neqve in dubium vocabo epitaphium Caroli crassi, qvod extat *apud Io. Is. Pontanum in libro V. originum Francicarum sub finem, atqve apud Chr. Ad. Rupertum in observ. ad Synopsin Chr. Besoldi cap. XVII.* Quod non congruit ingenio aetatis Caroloringicae, et discrepat a stylo pragmatico illorum temporum, atqve adeo mirari subit, qvamobrem *Vir Cl. Thomas Reinesius* ea de re non commonuerit Rupertum, qvem alioqvi saepe et familiariter, dum illud opusculum scriberet, commonere solebat. Similem in modum Carolina monumenta a supplemen-

mentis et *continuatione* seqviorum temporum discernenda sunt, qvod vel solus *Aimoini* codex indicat, ac veluti ad oculum demonstrat, qvum *in libro V.* ortum genusqve Caroli simplicis exponit.

LII. Cum vero Carolus crassus regnorum multitudine iam fere aeqvaret Carolum M. eumqve splendore potentiae qvam proxime imitaretur, tum duabus praecipue in rebus erravit, et erga Normannos velut superiori Francorum virtuti diffisus, nimis facilem se in paciscendo praebuit, et torpore, qvem ea tempora non ferebant, occasionem perseqvendi belli neglexit, offenditqve proceres, qvi viderent, his rebus incendi audaciam hostium, et sperni auctoritatem Imperii, qvod moribus in mollitiem langvoremqve versis, feliciter contineri non posset. Neqve rationes domesticae Caroli Crassi meliores erant, qvando infelix matrimonium habuit, coniugemqve Richardim adulterii suspectam repudiavit, atqve augendae perinde et firmandae familiae spem, et maximi momenti commoda, privata pariter et publica, suo periculo et culpa amisit. Qvare illo rerum statu, qvi omnem diligentiam fortitudinemqve reqvirebat, vehementer commoti Ordines, erubescendam Imperatoris ignaviam, atqve cum dedecore et damno coniunctam stupiditatem, pati non potuerunt, regnumqve indigne et inutiliter gestum abrogarunt. Mox Romani Italiqve exemplum secuti, Imperium sibi vindicarunt, atqve ad Langobardici generis principes transtulerunt. Nec multo post eandem fortunam tentarunt Burgundiones, regnumqve separatum ductu auspicioqve Rudolphi inchoarunt. Inter has mutationes Normanni et Slavi Moraviqve non committebant, ut occasionem hanc negligerent, cupiditatesqve suas cohiberent. Cum hae relangvescentis regni vices Reginoni ante oculos essent, non potuit reticere hunc tristem miserumqve eventum, qvando dissolutam tanti imperii molem describit. *Post cuius* (Caroli Crassi) *mortem regna,*

qvae

qvae eius ditioni paruerant, veluti legitimo destituta herede (innuit Arnulphum nothum Carolomanni filium) *in partes a compage resolvuntur, et iam non naturalem dominum praestolantur, sed unumqvodqve de suis visceribus regem sibi creari disponit.* Hinc causas subiungit, qvas erudite sapienterqve aperit, ut semina initiaqve harum conversionum planius intelligantur. Namqve dum propter aeqvalitatem dignitatis et generis omnes regnum affectabant singuli, obseqvium recusantes, aemulatione potentiae collidebantur. Non qvod superior virtus fracta prorsus extinctaqve esset, sed qvia ambitione, et ira odioqve prensantium distrahebantur consilia et vires, qvae gentem ad felicitatis culmen perductam erroris imprudentiaeqve admonebant. Morbi interne corrumpentes a corpore reipublicae prius arcendi erant, qvam membra eius coniuncta servarentur. Familiam Crassi Zelotypia evertit, fatali sane qvodam malo huius stirpis, qvam matrimonia saepe infelicia afflixerunt, qvod Ludovici pii et Lotharii iunioris praecipue testantur exempla, et ipsius etiam Caroli M. haud fortunata sobolis educatio confirmat. Imperium deinde otio langvoreqve dissolvit, atqve adeo occasionem et fortunam, qvae ab initio se dabant, circumspecte non adhibuit, postqvam intempestiva pacis qvietisqve cupido animum eius incessebat, atqve ex superiori fastigio deprimebat. Aliena isthaec cogitatio erat ab instituto primi acqvirentis, et tota repugnabat Imperatoris officio, neqve conveniebat statui temporum, ut arma, qvibus res Carolina hactenus steterat, omitterentur. Versabatur in eo negotio salus omnium, servitusqve metuebatur, si Carolus indigne transigendo tutum se fore existimaret, qvi nescire non posset, qvemadmodum Normanni superioribus annis contra pactionem cum Carolomanno Francorum rege initam fecissent, fidemqve violassent, *apud Reginonem DCCCLXXXIV. et Sigebertum 885.* Neglectas belli artes se-

qve-

qvebatur contemptus, atqve Augusti socordiam indignatio procerum excipiebat. Qvem enim liberatorem sibi asciverant, non modo non certamini se offerre, sed ne hostibus qvidem obviam ire, urbemqve caput rerum destituere, et erepta repetere, sed fortunae et pudendae pactioni omnia permittere, graviter ferebant, qvippe qvos reliqvit incertos, redemptione, an deditione urbis principis, an alio modo sibi consulerent, regnumqve servarent. Cum haec fierent, optimates dolebant spes suas ad irritum recidere, aliumqve regem circumspiciebant, qvi lapsis rebus opem ferret. Nullius eqvidem delicti, nedum tyrannidis accusari poterat Crassus, sed qvia reipublicae conditio per eum deterior facta est, damnumqve eius culpa datum sarciri non potuit, regnumqve, qvod servandum tuendumqve susceperat, per ignaviam torporemqve incursionibus hostium expositum, prorsusqve a ratione et regula regni sapienter administrandi, omniqve meliore modo conservandi descitum est, optimates temporum necessitati condonandum esse censuerunt, ut regnum, qvod sine armis defendi non posset, in alium transferretur. Nam qvi ipsum se regere non valebat, propterqve hanc causam curatore egebat, indignus regno visus est, ut gloria superioris libertatis indigna servitute ne permutaretur. Qvae magna subitaqve commutatio ostendit, multos et insignes conatus saepe fieri irritos, et inclinari subinde imperia ac labi, si reges solo potestatis nomine se tutos credant, solaqve benevolentia se satis munitos putent, nec praesidia legionesqve sibi circundent, etiam in regnis non mere hereditariis, *et non patrimonialibus*, *et pacto providentiaqve constitutis*, in qvibus vel capitum conventorum, vel, si ea expressa non sunt, *praesumptae* Ordinum voluntatis ratio haberi debet: praesertim qvum *res odiosa* tractatur et transigitur, qvalis est *cessionum*, *alienationum et translationum*, maxime earum, in qvibus summa rerum, et

sa-

ſalus finium verſatur. Mobiles enim ſunt procerum animi, et multum in regnantium fortuna ponunt, atqve eorum ſocordiam ſpernunt, facileqve ad res novas impelluntur, qvatenus per eam fieri intelligunt, ut ſtatus ſuus non modo non melior fieri, ſed ne ſalvus qvidem manere poſſit. Parco exemplis, qvando Caroli craſſi ſufficit, qvod moneat reges, qvam lubrico ſtent faſtigio, qvi armis ſe non muniant ac tueantur. Graviter Otto Friſingenſis ſcripſit. *Mirum dictu, Imperatorem, qvi poſt Carolum magnum inter omnes Francorum maximae fuit poteſtatis, in brevi ad tantam tenuitatem veniſſe cerneres, ut panis qvoqve egens, ab Arnolfo iam Rege facto ſtipendia miſerabiliter exigeret, ac ab ipſo paucos fiſcos in Alamannia gratanter ſuſciperet. Chron. lib. VI. cap. 9.* Locus egregius, et ad denotandam imperii humani inconſtantiam idoneus aptusqve eſt, qvem ante eum gnaviter expreſſit *Regino an. DCCCLXXXVII. conf. Viterbienſis Chron. part. XVII.* De cetero iuſſu Craſſi patrata Godofredi caedes, et ſeverior animadverſio in Hugonem crudelitate non poſſunt, atqve eventu divinioris poenae in praeſens notari debent. *Vid. Regino An. DCCCLXXXV. Petrus Divaeus lib. IV. rer. Brab.*

LIV. Mali qvidem et regnantibus periculoſi exempli fuit Craſſi exauguratio, reverentiamqve excuſſit procerum animis, et regni ſucceſſoribus valde nocuit, cum his modis deinde regum auctoritas intercideret, ſummaqve poteſtas repentinis ſubinde motibus labefactaretur. Qvam ob cauſam Romani a Francorum Imperio deſciverunt, cuius rei initium paulo altius ducam, primamqve occaſionem pro inſtituti ratione deſcribam.

LV. Simul atqve Carolus calvus imperium Romanorum adeptus eſt, creavit Ducem Italiae Boſonem, eumqve Mediolano impoſuit, ut pro ſe urbem regionemqve adminiſtraret, *apud Aimoinum lib. V. cap. 32.* Similem in modum

Gvidonem Berengariumqve instituit duces, atqve ipsis Spoletum Forumqve Iulium nomine suo regendum attribuit, potentiamqve successoribus postea infestam incaute fundavit. *Carolus Sigonius de regno Italiae lib. V.* Bosoni qvoqve deinceps regium insigne addidit, Provinciamqve profusa et improvida liberalitate concessit, atque iis rebus non minus Italiae, qvam Burgundiae periculum attulit, cum per ignaviam socordiamque Caroli crassi fieret, ut res Francorum prolaberentur. Auctor est Regino, hoc tale Caroli calvi consilium et ambitione plenum, et inprimis cum incauta aemulatione fuisse coniunctum, dum vellet imperare regibus, multumqve sibi in secunda fortuna indulgeret, Graecorumqve vanitatem affectaret, et luxum imitaretur. *Regino anno* DCCCLXXVII. *Sigebertus an. 876.*

LVI. Arnulphus eqvidem non statim de iniuria sibi per Italos illata qvestus est, et bellis aliis distractus sero Romam pervenit, et urbe in potestatem redacta, Imperatoris Augusti nomen dignitatemqve suscepit. Itaqve non amisit ius in Romam, nec ignavia sua perire passus est, sed occasionem nactus, acri fortiqve animo asseruit, atqve ab hac sententia non discessit, et retinendi animum titulo declaravit. Qvare iniqvi in eum animi signum est, qvod dedit *Carolus Sigonius*, qvum Arnulphum non ascripsit tabulis Imperatorum Romanorum, *de regn. Italiae lib. V.* Clara enim sunt Reginonis verba, et non sinunt, ut ea de re adhuc dubitemus, *ad A. DCCCXCVI.* Luithprandus qvoqve commemorat, Romam ab Arnulpho captam, seditiososqve supplicio affectos, *lib. I. cap. 7.* Omnino hoc repetiti iuris indicium est, propter qvod arma sumpsit, urbemqve ingressus est, ut more exemploqve maiorum suam atqve imperii auctoritatem firmaret. Non habuit ergo Sigonius, qvamobrem Arnulphum ex Imperatorum ordine amoveret, statimqve a Carolo crasso ad Berengarium Gvidonemqve transiret, *de regno Italiae lib. V.*

fin.

fin. lib. VI. princ. Neqve hic sermo est, qvam diu, sed qvam vere Arnulphus recuperatum ius imperatorium tenuerit, qvod, posteaqvam Roma abiit, morbo impeditus defendere non potuit, atqve aliis occupandum reliqvit. Nec multo post insurrexit novus Berengarii aemulus Ludovicus Bosonides, Imperatorqve Romae creatus est, atqve sic tandem antiqvum illud imperii Carolini decus plane exolevit. *V. Regino d. A. et seq.*

LVII. Cuius rei causae mihi aperiendae sunt, ut conversae fortunae ratio manifestius perspiciatur. Etenim Arnulpho tota qvidem et individua Francia Orientalis obtigit, et Occidentalis qvoqve ipsum comiter habuit, et auctoritatem inprimis aestimavit. Id qvod secundum scriptores Carolinos agnoscit et probat *Gotfridus Viterbiensis*, qvum omnes regni Orie̅talis provincias ei vindicat, simulqve affirmat, *Odonem auctoritate ipsius tenuisse Franciam Occidentalem*, *Chron. part. XVII.* Omittam hic superiorem Caroli crassi contemptum, qvi non mediocriter impulit Principes Langobardicos, ut spernerent successorem, atqve adeo studerent rebus novis. Accessit alia, nec plane nulla ad minuendam dignitatis opinionem causa, qvam prodit natalium labes, eamqve designant *Regino A.* DCCCLXXX. *Otto Frisingensis Chron. lib. VI. cap. 7. Gotfrid. Viterbiensis part. XVII. p. 467.* Qvanqvam non sum nescius, plerosqve dissentire, et putare, legitimum Carolomanni fuisse filium, apud *Ioannem Stumphium Chron. Helvet. lib. III. cap. 97.* Adhaec prudentia eum destituit, qvando victorias armis manuqve partas, ratione et consilio non perfecit, qvibus vel maxime securitatem constitui oportebat, Literis mandavit Luithprandus, qvid cum eo in Italia actum fuerit, cum non esset cautus contra insidias, nec metueret sibi a veneno et philtris, biberetqve non explorato liqvore poculum, ignarusqve fraudis exponeret se ludibrio hostium, repentinoqve sopore opprimeretur.

 Mox

Mox vires langvore et morbo, qvem paralysin nominant, solutae exhaustaeqve sunt, neqve hic miseriae finem habuit, et pediculis deinde corpus erodentibus foedum in modum consumptus fuit. *Regino A. DCCCXCVI. Luitbprandus lib. I. cap. 9.* Sunt, qvi vim divinioris ultionis afferant, atqve iniuriam in patruum admissam exaggerent, eiusqve poenam ex langvoris, qvamlibet ex diversa causa orti, similitudine aestiment, explicatamqve reddant. Alibi ambitionem eius crimini dant, qva et nimis incitasset animum, et a Deo avertisset, atqve ad ultimum non impune tulisset. Nec me fugit, acrius ferociusqve agere solitum, qvam ratio fortitudinis pateretur. Qvare factum est, ut ei *feritas* vitio verteretur, cuius demulcendae consilium prae se tulit Gvidonis uxor, callideqve persvasit cuidam ipsius familiari, *apud Luitbprandum d. l.* Nihil autem magis perniciosum fuit, qvam qvod Arnolphus Hungaros, ab Scythia profectos, ad infestandum Moraviae regnum excivit, perqve imprudentiam regni Germanici fines aperuit, et magnis, atqve diuturnis incursionibus patriam obiecit. Nam post Arnolphi mortem effusi, fecerunt irruptiones longe immanissimas, qvas eius successor filius suis viribus reprimere non potuit, temporumqve calamitate et animi moerore fractus sine prole obiit, et suam Carolinae gentis propaginem finivit. *Luitbprandus* sibi non temperavit, qvin scriberet, *immensum scelus Hungarorum emissione* ab Arnolpho admissum fuisse. *hist. lib. I. cap. 9.* Omnino tamen fateri necesse habeo, Luithprandum in rebus actisqve Arnolphi saepe qvaedam ab aliis diversa narrasse, et Imperatoris nomen titulumqve Arnolpho non tribuisse, sed consulto et revera traxisse contra fidem diplomatum, in qvibus Arnolphus se Imperatorem augustum appellat, et annis regni atqve imperii distingvit, *apud Vviguleium Hundium in metrop. Salisburg. T. I. p. 248. 249. T. II. p. 19. 20. T. III. p. 59.* Contra auctoritatem synodorum Romae Raven-

vennaeqve habitarum, *ap. And. Brunner. annal. Boicor. part. II. lib. VII. p. 319.* Contra assensum deniqve Reginonis, qvi Arnolpho imperante floruit, testisqve veluti oculatus fuit, et Chronicon usqve ad annum DCCCCVII. perduxit, atqve adeo regnante Ludovico ultimo, Arnulphi filio e vita migravit. Luithprandus autem Ottonum I. et II. tempora attigit, eorumqve nomine legatione perfunctus est, atqve in rebus actisqve sui aevi magnopere probatur. Eo minus de Sigonio laboramus, qvi nullo aetatis Carolinae monumento causam suam tueri potest. Rectius Io. Aventinus, multo labore diligentiaqve et assiduitate antiqvas Boiorum tabulas perscrutatus, tradit, Arnolphum, qvi Reginoburgi apud Boios domicilium, et posthac de multorum sententia tumulum qvoqve habuit, Imperatorem appellatum consecratumqve fuisse, *ann. Boi. lib. IV. conf. Io. Cuspinianus de Caes. et Impp. Rom. in Arnulpho.*

LIIX. Simul ac vero Arnulphus in vivis esse desiit, imperium Romanorum vehementius turbatum est, regnumqve Germaniae deinceps seiunctum mansit, cui tunc qvidem imminebat Zuendebaldus nothus Arnolphi filius, et nihil non pro libidine agebat, rapinisqve et incendiis omnia vastabat. Huius crudelitatis pertaesi proceres, animos in Ludovicum legitimum Arnulphi filium inclinarunt, eumqve concordibus suffragiis regem renunciarunt, et qvia id opportunum fortuna dabat, hoc suae in legitimum Carolinum voluntatis, reverentiaeqve publicum et insigne monumentum extare voluerunt. Inde sublato Zuendebaldo, primum et ingens periculum effugit, seditionemqve oppressit, sed brevi post respublica in maius discrimen adducta est, qvum Hungari Baioariam ingressi, agros vicosqve ferro et igni late vastarunt, templisqve non pepercerunt. Cum ita grassarentur barbari, rex Ludovicus pro salute et patria dimicandum censuit, praelioqve apud Lycum inito, impetum

eo-

eorum aliqvandiu ſuſtinuit, ſed inclinata poſt acie, omnes Francorum vires confectae ſunt, totaqve Germania incurſantibus patuit, nec facile unqvam triſtior foediorqve clades fuit. Francis eorumqve ſociis non animus, ſed conſilium defuit, ut qvi ſomnum potius, qvam arma caperent, ſecuritateqve res ſuas everterent, et inſtaurata acie nihilo circunſpectius agerent, ſimulataqve hoſtium fuga decepti vincerentur. Qvam cladem maximae direptiones ſecutae ſunt, atqve eo rerum ſtatu aeſtimari potuit, qvam ignari bellorum incautiqve ſint, qvi uno praelio, qvod nimia, nec ſapienti victoriae fiducia inſtruunt, ſummae rei periculum facere audent. Sive autem ira Dei ſecuritate ulciſcentis, Boios Francosqve et Svevos urgeret, ſive perfidia in Adelbertum admiſſa regis populiqve Francorum fortunam converteret, ſive regnum, qvod a vi et dominatione creverat, diſcordiis diu fatigatum, nunc ſeipſum ſuſtinere non poſſet, unum omnibus exitium ante oculos erat, orbitasqve Ludovici regis, non ambiguum magnae converſioni omen dabat, et multis gravibusqve malis veluti cumulum afferebat. Neqve inter regni proceres diu conveniebat, neqve Adalberti obſtinatio honeſta ratione vinci poterat, atqve his et aliis indiciis manifeſta Dei ira apparebat, qvum regnum, qvod vix dum a calamitate per Hungaros illata reſpiraverat, regem prolis expertem amiſit, brevemqve et ignominioſam ſenſit eſſe pacem, qvam ille fecerat, vel potius argento emerat, ut inita ſervitutis pactio videri poſſet. *Vid. Luithprandus, hiſt. lib. II. cap. 1. 2. 3. Reginonis ſupplementum, qvod perantiqvum, et fide dignum eſt, cuius initium in hodierna editione ab anno DCCCVII. ducitur, qvanqvam Sigebertus auctor eſt, Reginonem deſiiſſe in anno DCCCCX. Hepidannus Hungaros nominavit Agarenos, in annal. Alaman. a Melchiore Goldaſto editis, qvod fortaſſe a ſcriptoribus Graeco-Romanis ſumpſit, inter qvos Conſtantinus Porphyrogennetus eos ſane Turcas appella-*

pellavit, apud Io. Lucium de regno Dalmat. et Croat. lib. II. cap. 3. Gentes Pannonicas vocat Hermannus Contractus, nempe ab eo tempore, qvo in Pannoniam, antea ab Hunnis infessam venerunt.

LIX. Ab excessu Ludovici IV. Lotharingia desiit habere reges, ac deinceps Ducibus paruit, iamqve regni Germanici deterior fortuna, et regum minor vis atqve potestas fuit. Atenimvero ius dominiumqve supremum Lotharingiae, qvatenus in ditionem Germaniae venit, regibus Germanorum non ereptum est, neqve Giselberto licuit, Lotharingiam, omnium procerum consensu regi Ludovico IV. concessam et traditam, suo arbitratu adimere legitimo regi, et transferre aliorsum. Praeterqvam enim qvod id non erat in potestate Giselberti, Ludovicus qvoqve, summoto Zuendebaldo, iure proximus extitit, et voluntate suffragioqve procerum, ad qvos ea res pertinuit, Lotharingiam obtinuit, eamqve Germaniae rursus addidit, atqve hinc non ad alios, qvam ad successores Germaniae reges, nominatimqve ad Conradum I. transiit, cui Giselberti motus fraudi esse non potuit, multo minus prohibuit, qvin post Conradi I. mortem iure suo uteretur Henricus Auceps, regniqve ad se delati accessionem et partem iuste repeteret ac vindicaret. *V. Liutbprandus bist. lib. II. cap. 7. Otto Frising. Chron. lib. VI. cap. 19.*

LX. Non tamen sibi defuit Carolus simplex, et Lotharingiam regno Germaniae subtraxit ad tempus, et citra iustam possidendi rationem, aliqvandiu retinuit, sed tandem causae diffisus, pace inita, vero eiqve supremo domino Henrico Aucupi reddidit, vitiumqve *invasionis* agnovit, et facta restitutione, sustulit penitus atqve amovit. *Reginonis supplementum An.* DCCCCXXIV. *Sigebertus an. 923.*

LXI. E contrario qvidam movent omnes machinas, ut probare possint regnum Lotharingiae iure devolutum fu-

isse ad Carolum simplicem, idqve vel eo argumento conficere volunt, qvod post Ludovici IV. obitum Lotharingi sui iuris facti, liberum eligendi ius acceperint, et revera etiam sibi regem elegerint, atqve adeo Lotharingiam a regno Germa. iae separarint. Pro qva sententia propugnat *David Blo :dellus in assertione genealogiae Francicae, pariterqve Franciscus Haraeus*, qvi affirmat, *traditionem*, sive cessionem *Caroli simplicis non fuisse validam, neqve hinc Germanos ius in otharingiam acqvisivisse, in annal. Brabant. in Car. Simpl. XVI. Brab. Princip* Qvam ob causam *scriptor dissertationis historicae et politicae anno MDCLXII.* Gallica lingva editae appellavit *Henricum I. et Ottonem I. Lotharingiae usurpatores*, ut nota manifestaqve eorum iura oppugnaret, qvae etsi omnium veterum historicorum consensu tradita comprobataqve sunt, tamen ab horum sententiis longissime discedunt, vel qvia persvasione gloriae atqve studio in suam gentem, vel spe qvadam utilitatis eo se adduci patiuntur.

LXII. Illud qvidem largior, Lotharingiam, priusqvam Ludovico Germanico suo et proprio iure regenda obtigit, rationes a regno Germaniae separatas habuisse. At postqvam ab eo acqvisita est, portionem regni Germanici factam, ac deinde inter Ludovici Germanici filios Ludovicum Carolumqve divisam, atqve adeo pro rata utriusqve parte finibus Germaniae conclusam atqve comprehensam fuisse. Hinc rursus in Carolo crasso, qva rege Germaniae coaluit, atqve inde ad Arnolphum in regno Germaniae successorem pervenit. Ab eo tempore Arnolphus Zuendebaldum regno Lotharii, qvatenus ad ditionem Germaniae accesserat, voluntate et assensu Ordinum praefecit. Extincto post Arnolpho, Ordines, a Zuendebaldo ob graves et cum salute sua coniunctas causas alienati, Ludovico vero legitimoqve Arnolphi filio, ac nuper apud Forchemium creato Germanorum regi se tradiderunt, prorsusqve iterum

cum

cum Germania coaluerunt. Aptus idoneusqve teſtis eſt Regino, Lotharingiae Optimates noluiſſe a Germania ſeiungi, et Arnolpho etiam Lotharingiam Zuendebaldo aſſignare volenti initio contradixiſſe, nec niſi anno ſeqventi conſenſiſſe, *an.* DCCCLXXXXIV. DCCCLXXXXV. *Brevis Zuendebaldi hiſtoria extat apud Wilhelmum, Hedam, qvi hic Reginonem exſcripſit, in catal. Epiſcop. Traiectenſium p. 67.68.*

LXIII. Itaqve ſalvo iure ſuo Lotharingi in ditionem Zuendeboldi tranſierunt, II. Non coacti, ſed rogati ipſum admiſerunt, III. Fundamentum huius rei non in plena Arnolphi poteſtate, ſed in libero ſuffragio ſuo poſuerunt, IV. Ius *poſtliminii* retinuerunt, idqve etiam uſu probarunt, qvum in regni Germaniae fidem obſeqvium redierunt. V. Cauſae fuerunt multae, et inter eas profecto graviſſima haec, qvod Zuendebaldus regnum ex procerum populiqve conſenſu delatum praeter et contra eorum voluntatem iniuſtitia et crudelitate polluiſſet, procerumqve dignitates et iura violaſſet, neqve regis, ſed hoſtis animum rebus factisqve declaraſſet. VI. Cernitur hic neceſſitas evidens, qvae movit Ordines, ut Zuendebaldum privarent regno, cuius ea tunc ratio erat, ut ab aſſenſu et ſuffragio Ordinum penderet. VII. Proinde bello, qvod eo rerum ſtatu extremum erat ſervandae libertatis remedium, iura atqve immunitates ſuas propugnarunt, et in *facto* violatarum regni legum manifeſto ſeſe oppoſuerunt, praelioqve ſuperatum interemerunt. IIX. Caeſo Zuendebaldo, adhuc ſupremum ius poteſtatemqve regni Germanici agnoverunt, et Ludovicum IV. pro rege ſuo legitimo habuerunt, ſolenniterqve declararunt. IX. Acta qvidem huius conventionis deperdita ſunt, ſed nihilominus ex Reginone liqvet, proceres regni Lothariani non aliter, qvam mero liberoqve ſuffragio regem ſibi conſtituiſſe. X. Regna ergo veterum ſeqviorumqve Germanorum vel dignitatem praecipuamqve duntaxat

auctoritatem, vel potestatem, eamqve populi suffragiis adstrictam habuerunt, et procedente tempore etiam modum formamqve mutarunt, atqve adeo ad unam et communem regulam exigenda non sunt, qvod vel de primo Burgundionum regno constat, *Gvillim. de reb. Helvet. lib. II. cap. 8.*

LXIV. Qvamobrem Carolus simplex nullo iure invasit Lotharingiam, qvippe Germaniae regno iampridem coniunctam, et proxime iterum *postliminio* innexam. Omnino enim ad Conradi I. tanqvam legitime electi in regno Germaniae *successoris* dominium pertinuit, nec patientia, neqve cessione eius amissa est, cum priusqvam id impedire posset, fatis concederet, atqve omne ipsius ius, in qvantum ad regnum Germaniae spectabat, libera et legitima *electione* ad Henricum Aucupem devolveretur. Qvi simulac repressit Hungaros, statim se comparavit ad repetendam Lotharingiam, finesqve regni, qvos Conradus I. non defenderat, diligenter et animose tutatus est, atqve ea res ipsi pariter gloriosa, et Germaniae salutaris fuit. Autore VVittechindo constat, Henricum Aucupem *ob regnum Lotharii movisse castra contra Carolum (simplicem) eiusqve saepius fudisse exercitum, virumqve fortem adiuvisse fortunam, annal. lib. 1.* Conradus eqvidem nihil de regno Germaniae detraxit, nihilqve pro derelicto habuit, sed pro misero temporum statu limites regni non custodivit, atqve hanc ob causam Principes vel maxime offendit. Indicat hoc *Gobelinus Persona Cosmodromii aetat. VI. cap. 46.* Non vero hinc iuste acqvirendi titulum sumere sibi potuit Carolus simplex, qvando Conradus I. componendis domi rebus intentus atqve occupatus, non statim qvidem eius conatibus obsistere valuit, neqve tamen ullum *derelicti* iuris indicium praebuit, et animo ac voluntate Lotharingiae dominium retinuit, idqve ab excessu eius vindicavit Henricus Auceps, neqve alia, qvam hac tali ratione vindicare potuit, et firma

de-

demum mutuaqve pactione prorsus atqve omnino stabilivit. *Reginonis supplem. DCCCCXXIV. Sigebertus an 923.* Cuius cessionis causa sic bello accepta referri debet, ut totum eius fundamentum ponatur in vero, nec dum extincto supremo iure, qvod Germania a tempore coniunctae Lotharingiae obtinuit, qvodqve rex Germaniae Conradus I. cum omnibus partibus atqve accessionibus suis transmisit atqve devolvit ad Henric. Aucupem Germaniae regem. *Hadr. Valesius* studio praeterit qvaestionem de iure Caroli simplicis, neqve tamen inficiatur, *regnum Lotharingiae cum regno Germaniae fuisse coniunctum, Notit. Galliarum in Lotharii regno.* Minus sincere, et nimis audacter pronunciavit scriptor *dissertationis Gallicae anonymus*, qvi regibus Germanicis, non qvatenus Germanicis, sed qvatenus Regum Francorum sangvine oriundis Lotharingiam fuisse obnoxiam putat, tantumqve abest, ut iure possessam concedat, ut qvoqve nihil praeterqvam eius *usurpationem* largiatur. At vero hoc omni ratione destituitur, et repugnat divisioni superius memoratae, qvae suum cuiqve ius tribuit, Germaniamqve in eum statum deduxit, ut posthac ab imperio Francico libera separataqve esset. Cum tali et tam iusto inter gentes titulo nixa per se consisteret, non alii et separato regno qvidqvam acqvisivit, nec alius et separati regni rationem in acqvirendo habuit, sed sibi ipsi acqvisivit, eo modo et iuris effectu, qvo dominium et acqviritur, et stabilitur inter gentes. Deinde accessit Lotharingia, postqvam Germania iamdudum consensu et pacto suam et divisam a Francica ditionem tenebat. Iuste ideo Germaniae in separatos fines descriptae Reges acqvisiverunt regnum Lotharingiae, et legitime possederunt, neqve facto suo commeriti sunt, ut Lotharingiae *usurpatores* appellentur. *Michael Antonius Baudrandus in Geographia nuper edita* Lotharingiam Galliae regionem nominasse contentus, nihil ad huius argumenti notitiam attu-

lit, etsi alias in regionum urbiumqve nominibus ad mediae aetatis historiam pertinentibus, seqvitur Hadrianum Valesium, et sine dubio innuit Galliam Belgicam, qvomodo Lotharingiam appellari constat, *Gottfr. Viterbiens. Chron. part. XVII. p. 470.* Non capio, qvid sit, qvod Nicolaus Clemens Trelaeus scripsit, Ludovicum, Carolomannum, Carolum Crassum, Arnolphum, Zuendebaldum, Ludovicum IV. Conradum fuisse interreges, confusisqve imperiis Lotharingiae praefuisse, *in Austras. reg. p. 61.* Non enim dici possunt interreges, qvi suo et vero iure regnaruut, etsi vel maxime ponitur fuisse interregnum, anteqvam pleriqve eorum regnarent. Multo minus Lotharingiae confusis imperiis praefuerunt, qvando iidem Germaniae et Lotharingiae Reges fuerunt. Nec desunt tabulae, in qvibus superiores Germaniae Reges *praedecessorum* regumqve nomine appellati sunt a veris regibus, et in Lotharingia successoribus. Extat eam in rem diploma anno DCCCCXLVI. confectum, in qvo Rex Germaniae Otto I. ad qvem supremum Lotharingiae dominium spectabat titulo *praedecessorum* cohonestavit Arnolphum, Zuendebaldum, Ludovicum Arnolphi F. et ius atqve supremam eorum potestatem in Lotharingiam agnovit et fassus est, *apud Willb. Kyriandrum Aug. Trevriror. annal. part. XI.* Illud vero Conradi I. regis iuri non officit, qvod eodem in diplomate Carolum simplicem, nulla facta Conradi I. mentione, Ludovico statim subiunxit. Nam et ibi omisit Henricum Aucupem, de qvo tamen non ambigitur, qvin Lotharingiam armis repetitam, et iurata Caroli simplicis cessione traditam in ditione et potestate sua habuerit. Carolus inseritur, non qvod *invasionis* vitium Conradi I. patientia aut pactione purgarit, sed qvia in regno iniuste occupato *concessiones* legitimorum regum per se validas contrario facto non prohibuit, atqve *Abbatiae* Traiectensis cum Trevirorum metropoli coniunctionem in statu, qvo hactenus erat,

erat, reliqvit. Conradus autem domi impeditus, nec praevenire Caroli invadentis impetum, nec statim reprimere potuit, neqve expectavit talem *violentiam*, qvae cum iusto bello nihil commune habuit, qvaeqve non Lotharingiae ius, sed solam eius administrationem intercepit. Multis enim actibus et signis testatum fecit Conradus Rex, nolle se pro derelicta habere Lotharingiam, qvippe qvam recuperare omnino voluit, atqve eam ob causam Giselbertum Lotharingiae principem, antea factiosum et perfidum, secum redegit in gratiam, et versus Lotharingiam movit, atqve illius repetendae spem non abiecit, qvod dominii non derelicti insigne fuit documentum. Qvam in sententiam vel unicum, qvatenus praesenti instituto sufficit, adduco Liuthprandum, qvi simul causam affert, qvamobrem Giselbertus ad officium fidemqve Conradi I. redierit, *hist. lib. I. cap. 7. Suffragatur Sigebertus Gemblacensis Chronograph. an. 914.* Cum haec fierent, et reliqvi etiam Germaniae Principes Conrado I. reconciliarentur, solus Baioariae Dux Arnoldus pertinax fuit, atqve in Hungariam profugit, et usqve ad Regis mortem illic permansit, *apud Sigebertum ibidem, et apud Andream Presbyter. in Chron. Bavar. p. 34.*

LXV. Qvamvis autem deinceps forte non idem esset animus et consilium omnibus Lotharingiae proceribus, tamen haec studiorum voluntatumqve subsecuta dissimilitudo obligationem antea contractam non sustulit, nec efficere potuit, ut ius Conrado I. semel libero legitimoqve Procerum Lotharianorum suffragio in Lotharingiam qvaesitum ullo et idoneo et sufficienti argumento labefactaretur. Iohannes qvidem Monachus Nussiensis fide antiqvi *Collectoris* refert, per haec tempora Reges Francorum gubernasse Brabantiam et Lotharingiam, sed non diu, *Magn. Chron. Belg. in Conrado I.* Nec modo, qvod Lotharingiam attinet, non diu, sed ne iuste qvidem, qvando ius regendi specto, qvod

fuit

fuit mansitqve penes Conradum I. Praeter meritum Christophorus Brovverus, vir ceteroqvi rerum Lotharingicarum peritissimus, affirmat, per ignaviam socordiamqve Conradi accidisse, ut ius Lotharingiae transferretur ad Carolum simplicem, qvod publica diplomatum subscriptione notum testatum qve facere consveviſſet, *annal. Trevir. lib. IX. p. 446.* Gessit, fateor, se pro Lotharingiae domino, et sacris profanisqve rebus ibi disponendis curam adhibuit, *apud Ioannem Chapeavillium rer. Leod. tom. I. cap.* XL. Verum ista *usurpatio* ius dare non potuit, neqve *occupationis* titulus valuit, cum Lotharingia non esset nullius, nec *civiliter* possideri desineret, eo qvod de animo voluntateqve Conradi I. satis constaret. Aubertus Miraeus existimat, Ludovico IV. sine liberis mortuo, *Carolo simplici, ut legitimo heredi, iure licuisse non regnum modo Lotharii, sed Germaniam qvoqve ipsam, si par in armis vis fuisset, repetere, Cod. donat. cap. XXVII. Eandem in sententiam Iacobus Sirmondus, et alii plures discesserunt.* At qvia Germania iamdudum Francici iuris esse desierat, et superiori divisionis pacto in suos separatosqve fines descripta, atqve a regno Franciae Occiduae prorsus seiuncta erat, nulla et qvidem solida ratio afferri potest, qvamobrem Carolus simplex persеqvendi in Germaniam Lotharingiamqve iuris animum retineret, propterea qvod ratione eius nullum plane ius habuit, et sine Conradi I. voluntate etiam nihil ibi acqvirere potuit, atqve adeo sine titulo regnavit in Lotharingia, qvatenus ea Germanicae ditionis fuit. Paulus Aemilius narrat, Carolum simpl. recepisse Lontharingiam, et non obscure forsan ius *postliminii* denotasse videtur, qvod tamen voluntati et pacto superiorum dividentium non congruit, et Franciae a Germania dudum separatae adversatur. *lib. 3. de reb. gest. Franc. Sed is mea qvidem opinione secutus est Sigebertum, qvi receptionem facti, non iuris designat.*

LXVI.

LXVI. Qvare ſicut regnum Germanicum ſuffragio et iudicio eligentium Germaniae procerum ad Conradum I. non obnitente et reclamante Carolo ſimplice, ex iuſta cauſa delatum eſt, ita Lotharingici Ordines initio cum eligentibus his conſenſere, et una eademqve ſententia ius atqve poteſtatem in ſe Conrado I. libenter meritoqve aſſignarunt. Fuit ergo hic verus titulus et legitima *electio*, qvae animos conſiliaqve optimatium Lotharingiae iunxit, vel ſi accurate loqvi cupio, fuit potius *creatio*, qvae eo valet, ut ius qvaeſitum ſignificantius exprimatur, qvod in tantum Germaniae conveniebat, in qvantum ei innexa erat Lotharingia, atqve hoc modo fiebat, ut Lothariani proceres nec transferendi Lotharingiae dominii facultatem, neqve eximendi ſe ab imperio regum Germaniae poteſtatem haberent. Sine dubio haec firma iuris Germanici ratio movit tandem Reges Carolum ſimplicem, et Lotharium eius nepotem, ut fide iurisiurandi interpoſita de Lotharingiae poſſeſſione decederent, atqve ei in ſolidum renunciarent, idoneisqve et veris dominis reſtituerent, atqve vel his rebus iuſtitiam cauſae Germanicae approbarent. Vtrumqve teſtatur Sigebertus, et Lotharingiam ab Henrico I. vindicatam, atqve ab Ottone ipſius filio defenſam luculenter tradit, *an. 923. et 980.* Qvod adeo certum manifeſtumqve eſt, ut regni Lotharienſis annos titulumqve prudentes ſcientesqve diſtingvant, et ius Germaniae diu fundatum firmatumqve apto et ſapienti conſilio oſtendant atqve teſtentur. Extant diplomata et chartae apud Miraeum, Chiffletium et paſſim, qvae hiſtoricis lucem afferre poſſunt. Tanto minus habuit *Gvilelmus Marlot*, cur de Ottone Imp. dubitaret, et VVilhelmo Nangio, nugis naeniisqve referto aſſentiretur, *metropol. Remenſ. hiſt. tom. II. p. 30.* Etenim non fallens ſummae poteſtatis argumentum fuit, qvod Otto I. fratrem Henricum Lotharingiae praefecit, eumqve nexu clientelae ſibi devinxit, *apud Fro-*

G *do-*

doardum Chron. an. DCCCCXXXIX. Ratio probandi in eo ſita eſt, qvoniam, qvi provinciae alicuius Ordines populumqve ad obſeqvium redegit, atqve ius in eam a patre transmiſſum et roboratum iuſto gentium more tutatus eſt, et poteſtatem hanc revera tenuit, et uſu atqve exemplo comprobavit, is non potuit non habere ſupremum et civile eius imperium, atqve adeo nemini tanqvam domino clientelae obnoxium, vel qvo qvomodo dependens. Nunc vero qvum de Ottone M. qvaeritur, hoc firmis evidentibusqve indiciis conſtat, et res ipſa loqvitur, eum iure regni inſtituiſſe Lotharingiae duces, et ducatum conceſſiſſe ac tradidiſſe, et omnes ſummi imperii actus revera exercuiſſe. Vtiqve igitur operam perdunt omnes, qvotqvot exiſtimant, Ottonem II. a rege Francorum accepiſſe Lotharingiam beneficiariam, qvam ſuo et a nemine, tanqvam a ſuperiore et concedente deducto iure, tenebat ac tuebatur. Qvorſum ſpectat *Sigebertus an. 945. 980.* Ingenue Paulus Aemilius ſcribit, Carolum Lotharii fratrem, tradito ab Ottone II. Lotharingiae ducatu, *beneficiarium Caeſarum iureiurando effectum eſſe, lib. 3. de reb. geſt. Franc.* Nec diſſentit Robertus Gagvinus, qvi Lotharingiam beneficio Ottonis Carolo datam memorat, *lib. 5. cap. 6. hiſt. Franc. Neqve hic praeteriri debet Io. Iacobi Chiffletii commentarius Lotharienſis.*

LXVII. Vehementer qvidem Reges Francorum pro Lotharingia ditioni ſuae coniungenda annitebantur, et portione, qvae ex pactione Marſanenſi obtigerat, non contenti, citeriorem qvoqve et Germanicam contra ius fasqve conatu interdum non irrito invadebant, atqve ad imperata facienda adigebant. Sed cum ea deinde cederent, rationesqve ſuas neceſſitate belli mutatas ad iuſtitiam referrent, Francorum Proceres Germanici nominis aemulatione commoti, Carolum ſimplicem regni poſſeſſione multarunt, animosqve ſenſim a propagine eius abalienatos, in aliam, et

qvi-

qvidem Capetinam familiam inclinarunt, atqve ab excessu Ludovici V. nullos posthac ex genere Carolino reges habuerunt. *Causam offensae exponunt Paulus Aemilius lib. 3. Marchantius Flandr. lib. 2. p. 222.* De Lotharingia autem semper cum discrimine, qvod ante memoratam divisionem respicit, tractandum est, qvatenus vel cum Germania, vel cum Francia Gallica coaluit, atqve adeo vel citerior, vel ulterior facta est: citerior deinde tributa est in superiorem, cui Alsatia, qvam studiose perqvisivit *Cl. Vlricus Obrechtus*, accessit et innexa est, et inferiorem, qvae patebat ultra Treviros, aliosqve intra Germaniae per Ludovicum Germanicum ampliatae fines complectebatur. Ad qvod argumentum spectant omnino *Browveri annales Trevirenses.*

LXVIII. Ceterum potior iuris ratio causaqve fuit Germanis, ut ex alia stirpe Reges sibi eligerent, qvam ea qvidem esse potuit Francis, qvorum familia regnans nondum defecerat, atqve dubia saltem, nec omnino manifesta eligendi libertas erat. Nisi igitur, mortuo Ludovico qvinto, Franciae Gallicae populus sui iuris factus est, non apparet, qvamobrem ei potestas auferendi regni tribuatur. Praesertim qvum agnationis ratio intervenit, et ius succedendi notum evidensqve est, maxime in eo regno, qvod inde a Carolo calvo ad omnes ex *divisa Francorum linea* per virilem sexum descendentes pertinebat. Contra Germani defuncto Ludovico IV. Arnolphi filio, in eum sane statum devenerunt, ut suo liberoqve eligendi iure uterentur. Non enim modo dudum sub Francis esse desierant, sed qvoqve in regno separatim constituto, et usqve a Ludovico Germanico ad Ludovicum IV. *in separata serie* ultimum continuato, tantisper manserunt, dum is e vita decederet, *lineamqve divisam* finiret. Hoc modo ius regum Germanorum morte Ludovici IV. plane extinctum est, populusqve liberam eligendi potestatem obtinuit, et ruentis prope reipublicae fulcimen-

tum gravi et iusta ex causa qvaesivit. Qvo tempore is rerum status erat, ut reges ex Saxonia peti necesse esset, regniqve insignia ad Ottonem Saxonum ducem perferrentur. Qvi aetatis excusatione usus, auctoritate et suffragio suo effecit, ut Conradus Rex Germanorum designaretur. Totum *electionis* actum eventumqve breviter et ingenue describit monachus Corbeiae Saxonicae VVitichindus. *Vltimus Carolum apud Orientales Francos imperantium Luthovvicus ex Arnulfo fratruele Caroli, huius* Lotharii *Regis proavi, natus erat.* Et paulo post. *Regi autem Lothovvico non erat filius, omnisqve populus Francorum atqve Saxonum qvaerebat Ottoni diadema imponere regni. Ipse vero qvasi iam gravior recusabat imperii onus: eius tamen consultu Cunradus qvondam dux Francorum ungitur in regem. Annal. I.* Qvae res qvidem opportune peracta est, et iuris apud gentes comprobati effectum habuit, et feliciter etiam successit. Etenim sciebant Germani, et recte iudicabant, regnum suae nationis separatum esse a Francis et liberum, atqve hoc iure posse uti in actibus iure gentium licitis, et extincta *regnante linea,* non se impediri, qvin alios ex sua liberaqve Tevtonicorum natione reges eligant, remqve publicam servent. Ex adverso Carolus simplex in regno alieno, et solenni iurataqve pactione separato, armisqve defenso non modo non ius prohibendi habuit, sed ne Franciae qvidem regnum tueri potuit, rerumqve adeo afflictarum remedium domi non reperit, sed foris qvaesivit. In his Caroli simpl. angustiis, atqve in his procerum dissidiis sane Respublica Germanorum peritura erat, si consilium et auctoritatem, et regem a Francia Gallica expectare debuisset. Paulus Aemilius diffiteri non potuit, Carolum simplicem petiisse auxilia Henrici Aucupis, et sibi ipsi consulere non potuisse. Profecto non stetisset Germaniae regnum, sed ab Hungaris Venedisqve eversum fuisset, nisi Francorum Saxonumqve populus elegisset

giſſet Henricum Aucupem, regemqve accepiſſet ad reſiſtendum barbaris manu et conſilio promtum. Etenim una tunc ſpes in armis erat, et ignavus timidusqve rex ſalutem publicam ſervare non poterat, qvando non praeda ſolum ſed libertas ipſa petebatur. Id qvod conſilio atqve iudicio Conradi I. et principum populiqve ſuffragio ex aſſe congruebat. *Witichind. annal. Sax. I. Ditmarus Merſeburg. Chron. lib. 1.*

LXIX. Qvamobrem iuſta liberaqve fuit Germanorum *electio*, et multis ſolidisqve fundamentis innixa eſt, qvae nullis qvidem argutiis hactenus convelli potuerunt. Ac I. Germania non fuit innexa Franciae, neqve voluit Carolus M. ut hanc legem acciperet, atqve in Francorum provinciam redigeretur. II. poſtqvam vero Francica eſſe deſiit, non manſit in eo ſtatu, qvo antehac erat coniuncta cum regno Franciae, ſed iam ſuo atqve ſeparato a Francia Gallica imperio utebatur. III. Non enim modo *lineae* regnantes, ſed etiam regna ipſa ſeiuncta ſunt, cum ea res inter pares habilesqve *dividentes* acta, eorumqve iureiurando pariter et procerum cuiusqve regni conſenſu firmata fuerit, et iure gentium robur acceperit. IV. Speciatim moribus Germanorum tamdiu Franciae Germanicae imperium apud Ludovici Germanici propaginem manſit, donec aliqvis ex ea tanqvam primi in *ſeparata linea* acqvirentis ſupereſſet. V. Supremum ergo dominium Franciae Germanicae transactione Fontanidenſi translatum alienatumqve eſt, adeo ut deinceps *lineae* a Carolo calvo deſcendentis nulla ratio haberetur, VI. In qva cauſa iudicio populi Germanici ſtandum erat, qvi ius *diviſae lineae*, qvae Germaniam acqviſivit, pro natione Germanica, extra qvam erat Carolus ſimplex, interpretatus eſt, eamqve ſententiam publice dixit, et inaugurationis actu declaravit. VII. Itaqve nihil impediebat agnatio, qvominus *linea acqvirente* ſublata, regnum

Germaniae ad aliam, eamqve nationis Germanicae familiam transferretur. IIX. Enimvero ius regnandi, qvod *pactitia cessione* acqvirenti Germaniam obtigit, in gente Germanica fundatum, et iusta ac diuturna et sexaginta annos excedente possessione in Ludovici Germanici posteris continuatum, ac deinde post fatalem eorum casum, ad alias Germanicae nationis familias ex gravi necessariaqve causa translatum, ac septingentis et septuaginta annis sine contradictione cultarum Europae gentium sub nomine et iure Germanico servatum fuit. IX. *Linea*, qvae a Carolo calvo constituta est, auxilio eqvidem Ludovici Germanici se firmavit, ac deinceps tempore irruptionis Normannicae suis viribus se defendere non potuit, Germanorumqve regno iterum se iunxit et paruit, ut necessitati cederet, exitiumqve vitaret. Contra Germani a Francorum imperio separati, nunqvam à iure suo discedere, neqve cum Francis in regni societatem redire voluerunt, atqve hanc libertatem omnibus rebus potiorem duxerunt, et sobolem Carolinae stirpi agnatam regno suae nationis arcendam esse sapienter putarunt. X. Sive enim ex iuris, sive ex prudentiae capite statuatur, consilium hoc maturum et rectum, atqve in tantum cum Germaniae salute coniunctum fuit, in qvantum aditus praecludebatur Francis ad imperium in Germanos capessendum. XI. Qvod Germanorum institutum deinceps imitandum esse censuerunt Franci, cum defuncto Ludovico V. Carolini sangvinis nullam rationem ducerent, Carolumqve eius patruum, et Lotharingiae ducem praeterirent. Sed non pari et eodem iuris momento, qvo Germani se tueri potuerunt, propterea qvod Francorum *linea* nondum tota defecerat, ratioqve necessitudinis propior obstabat, qvominus perinde liberum eligendi ius haberent, ac Germani. XII. Qvoniam vero nihilominus Franci aliam et a Carolina diversam familiam evexerunt ad Franciae regnum,

gnum, non eſt, cur graviter ferant, Germanos hoc iure fuiſſe uſos, hoc magis, qvod extincta Ludovici IV. *linea*, cui ſe et nationis ſuae regnum addixerant, eam eligendi libertatem conſecuti ſunt, et reipſa demonſtrarunt. XIII. Saltem enim tantundem effecit et valuit Germanorum *electio*, qvantum efficere et valere potuit *electio* Francorum, qvi Carolo duci iuris per agnationem qvaeſiti viam aditumqve intercluſerunt. XIV. Etſi autem utrinqve non fuit idem ius et ratio aeqvaliter movens, ut paulo ante dixi, tamen adducitur qvoddam indicium *praeſumptae mentis* Caroli a regno Franciae alienioris, idqve non prorſus inane videtur, et extat apud Paulum Aemilium, qvi tradit, eum *Germanorum imperii totum fuiſſe*, cuius auſpicio beneficioqve ducatum Lotharingiae tenebat. Non minor autem metus nec debilior coniectura fuit Germanorum, Carolum ſimplicem excludentium, qvippe qvi ab initio praecipue in Franciam Gallicam pronior erat, nec multo poſt fines Germaniae infeſtabat, et iniqvum in Germanos animum his et aliis rebus declarabat. Qvem cum poſtea mutaret, Germanosqve ſibi conciliaret, ac Lotharingiam redderet, hoc exiſtimari coepit non modo negligentiae, ſed etiam iniuriae in Francorum nomen admiſſae argumentum, adeo ut traderetur in cuſtodiam, regniqve poſſeſſione privaretur. XIV. Qvanto ſapientius ergo Germani eum regem accipere noluerunt, ad qvem accipiendum nullo iuris vinculo obligati erant, praeſertim cum ex natione ſua accerſere et eligere reges idoneos utileſqve poſſent, et omnino etiam deberent. XV. Qvorſum afferri ſolet Conradi I. neceſſitudo cum genere Carolino, ut ratio cauſaqve *electionis* Germanorum exprimatur. Qvae non ſolum incerta, ſed qvoqve falſa eſt, et refellitur auctoritate veteris Francorum Chronici, qvod extat *in bibliotheca Vindobonenſi apud P. Lambecium lib. II. p. 394.* Tum vero Germani lege qvadam neceſſitatis inevitabilis non erant adſtricti ad agnatam *lineam*, et

teſtatemqve *electione* collatam, et omnium Europae gentium conſenſione approbatam perpetuo et ſeptingentis annis amplius retinuerunt, et tam diuturna atqve non dubia tot ſeculorum poſſeſſione ſe muniverunt, et ipſi deniqve reges Capetini, Valeſii pariter et Bourbonii agnoverunt et faſſi ſunt, atqve ex his praecipue regnantis etiamnum *lineae* magnus conditor Henricus IV. id aſſenſu ſuo comprobavit, qvamvis alioqvi rerum conſiliorumqve Europae Chriſtianae arbitrium ſummo ſtudio captaret. Qvin etiam hodierni, iiqve ſpecioſi *reunionum et dependentiarum* tituli non ſpectant ad repetendam Germaniam, qvae iam ultra ſeptingentos annos Francorum eſſe deſiit, et nunqvam Capetinis paruit, ſed ob ceſſos pace Veſtphalica Epiſcopatus adornantur. Proinde aliqvid monſtri alunt, qvi ſeorſim inſtaurandum Auſtraſiae regnum ſuſpicantur et cogitant, qvando et ingenium monarchiae Gallicae ignorant, et rerum conſiliorumqve imperitiam oppido teſtantur. Igitur mihi non ſatisfacit in hoc argumento *Gabriel Schvvederus introd. in ius publ. part. gen. cap. 4. p. 108.*

LXX. Sed enimvero ex ruinis antiqvi Lotharienſis regni, duo Lotharingiae *ducatus* exorti ſunt, qvorum alter inſignem Moſellae tractum, alter magnam Brabantiae partem complexus eſt, et uterqve cum regno Germaniae ita coaluit, ut uterqve eſſet vera eius pars, et eodem iure contineretur. Ac ducatus qvidem Moſellanus ſine omni dubitatione manſit in fide et clientela Regum Germaniae, et comprehenſus eſt ambitu ſuperioris Lotharingiae, atqve aliqvandiu coniunctam habuit Ripuariam et Ciſmoſanam regionem, et utramqve Henricus Auceps, et Otto I. in poteſtate ſua tenuerunt, et utriqve etiam ſupremo iure ſuo duces impoſuerunt, *apud Sigebertum an. 923. 945. Gobelin. aet. VI. cap. 47.* Deinde Otto II. Ripuariam, qvae Lotharingia fuit inferior, Carolo Lotharii Francorum regis fratri ſub auſpiciis Germani-

cis habendam attribuit, et eo iure nunqvam cessit, *Sigebertus an. 977. Ibidem Franciscus Haraeus, qvi ratione huius Lotharingiae in reges nostrates iniqvior est, ante qvem Petrus Divaeus scripsit testatusqve est nexum beneficiarium, qvo devinctus erat Ottoni II. Carolus ob Lotharingiam inferiorem, rer. Brabant. lib. VI.* Itaqve Otto II. omni studio illuc incubuit, ut hanc declivem Lotharingiam iuri nominiqve Germanico servaret, et nova, eaqve iurata Lotharii regis Francorum cessione, qvae titulum occupatione firmiorem dabat, verum atqve supremum dominium sibi confirmaret, *Sigebertus an. 980. Christophorus Browerus annal. Trev. lib. X.* Robertus Gagvinus existimavit, Lotharingiam ad Ottonem usqve III. permansisse: qvod si de supremo in eam iure ac potestate regum Germaniae intelligere voluit, erroneum est, qvoniam non ignorare debuit, Imperatores, in qvantum Germaniae reges, etiam seqventibus seculis, et continuato supremi dominii iure res ducatus huius disposuisse, et inter Saliqvos Henricum V. ex lege maiestatis eo privasse Henricum Limburgium, et Godofredo Comiti Lovaniensi assignasse, *Sigeb. an. 1106. et an. 1107. ubi exducem appellat.* Nam de coniunctione Lotharingiae verba ea me interpretari prohibet Ottonis II. beneficiaria *concessio*, qvandoqvidem ea spectabat ad inferiorem Lotharingiam, qvae iam tum a Mosellanorum tractu seiuncta erat. Postero tempore accessit ad Lovanii Comites, et Ducum Brabantiae titulum auxit, atqve hinc factum est, ut Godofredi Lovaniensis posteri Lotharingiae pariter et Brabantiae duces sese appellarent. Qvod ab aetate Henrici IV. usuvenisse tradit rerum Brabanticarum scriptor *Petrus Divaeus lib. VII.* Confidenter scribit Iustus Lipsius, apud Brabantos non reperiri Ducatus nomen ante Henricum Qvartum Lovanii Comitem, *in Lovan. lib. I. cap. 13.* E diverso alii primum Ducis Brabantiae titulum ab Henrico III. sumtum affirmant, *inter qvos praecipuus est*

Io.

Io. Gerbrandus a Leidis, et causam rationemqve asciti huius tituli memorat Chron. Belg. lib. XXIII. c. 14. Qvem seqvitur Iacobus Meyerus in annalibus Flandriae, lib. IX. an. MCCXLVII. Nec dissentit Carolus Scribanius qvando Henricum III. Brabantiae et Lotharingiae Ducem vocat, in orig. Antverp. cap. IX. p. 94. Idemqve approbant Petrus Louvvius in notis ad historiam Ioannis Molani cap. LXI. et Ferreolus Locrius chr. Belg. An. 1247. Altius repetit Aubertus Miraeus ab Henrico II. neqve mihi non exploratum est, extare tabulas, qvae confirmant, Henricum II. nunc Brabantiae seorsim, nunc Lotharingiae et Brabantiae ducem fuisse appellatum. In notitia Eccles. Belg. cap. CCXI. et CCXVI. Aliqvando tamen hos titulos variasse constat, et ipse adeo dubitat Franciscus Haraeus, et ab Henrico IV. seriem ducum auspicatur, annal. Brab. p. 232.

LXXI. In praesens meo instituto ostendisse sufficit, Lotharingiae inferioris Brabantiaeqve ducatum et a regibus Germaniae institutum, et lege beneficiaria concessum et confirmatum fuisse, Qvod usu probarunt Otto II. et alii Caesares, qvorum morte hoc ius adeo non sublatum est, ut qvoqve post Ottonis III. decessum, Henricus sanctus ducatum conferret in Godofredum Arduennae Comitem, qvi eum titulo beneficii suscepit atqve possedit, *apud monachum Nussiensem in magno chr. Belg. 96. et 97. Sigebert. an. 1005.* Is decessit sine liberis, et Imperatore consentiente fratrem *a latere* successorem habuit, eiqve deinceps Conradus Saliqvus ducatum Mosellanum hactenus a Lotharingia separatum sub Imperii clientela tenendum attribuit, rursusqve coniunxit. Qvo tempore qvidem Robertus Hugonis Capeti filius ad occupandam Lotharingiam animum adiecit, sed ea spes irrita fuit, qvod Conradus huius nominis II. in ducatu sub auspiciis Germanicis acqvisito ius et leges composuit, et nihil, qvod fraudi sibi esset, fieri permisit. *Sigebertus an. 1026. et 1033.* Ab huius Ducis excessu Mosellae principatus, volente

Henrico III. Saliqvo, iterum a Lotharingiae ducatu avulſus eſt, magnaqve rerum mutatio contigit, adeo ut Godofredus II. per Imperatoris ſententiam ducatu Lotharingiae privaretur. *Sigebertus an. 1044 ſeq. 1048.* Pari auctoritate ius aſſeruit Henricus IV. et defuncto ſine ſobole Friderico, ducatum Lotharingiae vacuum beneficiario nomine impertitus eſt Godofredo, apud eundem *an. 1065. Ac idem ille eſt, cuius meminit Hermannus Contractus in Chron. an. eod.* Poſtea Saliqvorum ultimus Henricus V. ex capite perfidiae vindicavit in Henricum Limburgi Comitem, ducatumqve ad Godofredum Lovanii Comitem tranſtulit, atqve eum nova dignitate et inſigni regione auxit, *Sigebertus an. 1106. Iac. Meyerus in annal. Flandr. an. eod. Petrus Divaeus rer. Brab. lib. VI. et VII Hadrianus Barlandus nec temporum notas, nec mutationum periodos ac intervalla accurate exeqvitur, ac de Godofredo hoc Duce tradit cap. XXVII. XXVIII. XXIX. in Chron. Brabantiae ducum.* Non ſibi conſtat Petrus Louvvius, qvum Ducatum Lotharingiae Godofredo in hereditatem traditum fuiſſe dicit, et deinde ſtatuit, eum ab Imp. Henrico V. non potuiſſe dari Godofredo ipſius genero in dotem, *Not. ad hiſtor. Molani cap. LV.* Nam Lovanii comitatus, qvi in Godofredi patrimonio numeratur, non erat integra Brabantia, et negari non debet, totam Lotharingiam inferiorem, in qvantum ducatus nomine venit, femineum eſſe beneficium, atqve adeo et dari et accipi potuiſſe in dotem, qvatenus de iure et poteſtate dantis Imperatoris nunc certi ſumus. *Interim de feudo Lotharingiae femineo vid. Fr. Haraeus in annal. Brabantiae Principum p. 166.* Qvibus ita geſtis hic ducatus iterum Godefrido ereptus, et auſpiciis Lotharii II. Saxonis Valeramo Limburgio Comiti attributus eſt, ſed Lothario vivis exempto, Conradus III. eum Godofredo barbato reſtituit, atqve in paterna ſucceſſione confirmavit, *apud Monachum Nuſſienſem p. 156. et 167.* Huius nepoti Godofredo

prae-

praeter ſtudium favoremqve Conradi Caeſaris, bene vertit matrimonium, qvod cum Margaretha Limburgia contraxit, atqve eo funeſta Limburgiorum odia, et omnes ſuperiorum temporum lites finivit, *apud eundem p. 196. nec non P. Divaeum lib. IX.* Inde fuit manſitqve penes huius familiae Principes, donec perveniret ad Luxemburgios, Germaniae imperio ſemper obnoxios, inter qvos Venceslaus ducta Iohannis III. filia, Brabantiam atqve inferiorem Lotharingiam ratione imperii acqviſitam, atqve hoc modo Comitibus Lovanienſibus conceſſam et traditam, ac deinde per Iohannae ab iis oriundae connubium aſſenſu omnium Brabantiae Ordinum delatam, ſub auſpiciis imperii ſuſcepit. De Lovanienſibus a Godofredo barbato deſcendentibus illuſtre eſt Richardi regis Romanorum diploma, anno MCCLXVIII. confectum, in qvo Iohannes I. Brabantiam et Lotharingiam, qvam ratione imperii tenuit, ratione eiusdem *a Romano rege recepit in feudum, et exinde homagium praeſtitit. Notit. Eccleſ. Belg. cap. CCXXII.* Non potuit inficiari Divaeus, a tempore inſtituti huius ducatus, *omnes Brabantiae duces inter imperii Principes fuiſſe connumeratos usqve ad Antonium lib. X. rer. Brab.* Haud dubie ergo Venceslaus Luxemburgius, qvi praeceſſit Antonium, fuit Imperii Princeps, et ratione Brabantiae Imperio fidelis et obſeqvens fuit ac permanſit, neqve cum Venceslai morte ius imperii expiravit. Nota enim multumqve agitata eſt controverſia inter Sigismundum Imperatorem et Antonium Burgundum, qvae ad terras Imperii, et ſigillatim qvoqve ad *Leucorum* ducatum attinebat, et demum ea in re ſtirpis Luxemburgicae ius ex pacto convento qvaeſitum verſabatur. Qvam ob cauſam a Venceslao Rege legati miſſi ſunt, qvi defuncto patruo Venceslao Duce, poſtularent Brabantiae ducatum ſub imperii auſpiciis poſſidendum, *apud Divaeum lib. XV. p. 167. lib. XVI. p. 208. et lib. XVII. p. 219.* Illud qvoqve memoratu dignum

 eſt,

eſt, qvod poſt deceſſum Antonii, Imperator Sigismundus Luxemburgius, Imperii et ſuae Domus iurium inſigniter peritus, Brabantiae imperialem proſcriptionem minatus eſt, qvam minari non potuiſſet, niſi ius Imperii, et ſententiam Electorum eam expoſcentium plane cognitam habuiſſet, *Fr. Haraeus in Ducibus Brab. t. 1. pag. 395. et Divaeus lib. XVII.*

LXXII. Non poteſt iam non eſſe manifeſtum, qvomodo, et qvo iure hactenus Brabantia poſſeſſa fuerit, qvam Duces Burgundiae non ratione Capetinae ſtirpis, nec ratione ditionis et patrimonii Francorum acqviſiverunt, ſed extra illius fines poſitam, et ex diverſa cauſa partam, ac deinde ab Ottone II. a cetera Lotharingia ſeparatam in fide et clientela imperii retinuerunt. Idcirco poſtqvam Carolus audax Principem Imperii beneficiarium ſe profeſſus eſt, et Imperatori Friderico III. ſolenniter iuravit de Principatibus, qvos poſſedit intra Imperii fines, ſimul ei fidem nomine huius ducatus aſtrinxit. *Iacobus Meyerus in annal. Flandr. an. MCCCCLXXIII.* Permagnum hic omnino pondus habet ingenua regum Francorum confeſſio et aſſenſus, ſpectatqve eo Caroli IIX. epiſtola, in qva et ſuprema in Brabantiam iurisdictio, et legitimi Brabantiae Principis titulus Philippo Auſtrio Maximiliani I. filio adſcribuntur, *apud Pontum Heuterum rer. Belg. lib. II.* In qva ſententia omnes Francorum reges ſibi conſtant, atqve id probant acta illorum temporum, qvibus controverſia ſucceſſionis Burgundicae contrariis ſtudiis armisqve diſceptabatur. Cum enim Reges Valeſii, caeſo Carolo Duce Burgundionum ultimo, pleraſqve Belgii provincias iure regni repeterent, tum inter eas praecipue Flandriam et Arteſiam Franciae vindicaſſe contenti, nullam de Brabantia litem movebant. Neqve etiamnum alia videtur opinio Regis Chriſtianiſſimi Ludovici XIV. qvando ob non ſolutam ex pacto nuptiali dotem, ſolo iuris *devolu-*

lutionis apud Brabantos receptae argumento perſvadere cupiebat, Brabantiam Reginae coniugi, tanqvam natu maximae Philippi IV. filiae deberi. Sed haec *devolutio* ad privatas ſucceſſiones pertinet, et locum tunc habet, ſi nemo ex virili genere ſuperſtes ſit, qvi ad ſucceſſionem vocari qveat, et demum Imperio non poteſt eſſe fraudi, cuius eſt beneficiarius iſte Brabantiae Principatus. Eodem iure continetur Limburgi Ducatus, qvem Iohannes I. Brabantiae Dux, emptionis, et belli transactionisqve titulo Brabantiae ditionis fecit, et perpetuo ac *inſeparabiliter* iunxit, *Pontus Heuterus rer. Burgund. lib. VI. p. 259.* Qvamobrem uterqve ducatus lege beneficiaria Imperio obſtrictus, et transactione Burgundica deinceps comprehenſus, necdum a ſuprema imperii iurisdictione exemptus, et anno MDCLXVII. iterum una cum aliis *circuli* Burgundici provinciis publice talis habitus et agnitus, atqve adeo in priſtino clientelae ſtatu relictus, ac denuo confirmatus fuit. Nulla imperii reverentia ductus eſt Petrus Louvvius, qvum ſcripſit, Lotharingiam poſt Henricum V. non amplius pro domino agnoviſſe Caeſarem, qvod falſum eſſe, non dubiis rerum documentis probavi. Si qvidqvam poſſet tribui vulgatis, ſed incertis aliqvorum *genealogiis*, qvae Carolinas Auſtriasqve neceſſitudines nectunt, non abſurde liceret affirmare, Auſtrios aeqve ac veteres Lovanii Comites in Lotharingiae inferioris Brabantiaeqve ducatu *poſtliminio* ſucceſſiſſe. Saepius autem mutavit dominos ſuos, et a familia Carolina pervenit ad Arduennae Comites, hinc ad Haginoae, id eſt, antiqviſſimos Hannoniae Comites, atqve per hos ad Godofredum Bullonium, paterno genere Flandriae Comitem tranſiit: deinde ad Limburgios, mox ad Lovanii Comites, Caroli I. Lotharingiae inf. ducis heredes, ut nominat *Monachus Nuſſienſis*: poſtea delatus eſt ad Luxemburgium Venceslaum, dynaſtis Lovanienſibus neceſſitudine coniunctum, tum ad Burgundiae duces,

ces,

ces, genere Capetino ortos, et demum ad Austrios Habsburgios, penes qvos etiamnum manet. *Pontus Heuterus in Genealogia Brabantica.* Tantum addo de Limburgi ducatu, eum *Luneburgiae* nomine perperam scriptum esse a *Monacho Nussiensi in magno Chron. Belg. p. 351.*

LXXIII. Reliqvus est Mosellanorum ducatus, qvi regni qvidem veteris Lothariani pars est, et inde ab ultimis Imperii Germanici temporibus ad Germaniam spectat, et intra eius fines iacet, et suprema illius iurisdictione continetur. Etenim Ludovicus iunior patris cognominis in regno Germaniae, parte Lotharingiae nuper auctae successor, istam deinde Lotharingiae portionem, qvae Carolo calvo ex formula pacti Marsanensis obtigit, cessione Francorum obtinuit, totamqve Lotharingiam ex integro coniunxit, et Germaniae illigavit. Qvod accurate copioseqve perscripsit Regino, et partis Lotharingiae, a Carolo calvo acqvisitae, Francorumqve regno coniunctae cessionem reipsa factam, iurataqve pactione firmatam esse, luculenter et sincere tradit, *in Chron. an. DCCCLXXXIX.* Tali pacto causam dedit bellum a Ludovici iuniori susceptum, cuius metu Ludovicus et Carolomannus inducti sunt in cessionis sententiam, cum intelligerent, propter avum tam acerbe in se consuli, et renovari superiora odia, et arma sumi, Lotharingiamqve peti. Idcirco e republica fore arbitrati sunt, si parte iuris aviti cederent, regniqve servandi causa Lotharingiam ulteriorem, Francisqve obnoxiam Ludovico iuniori traderent, et suprema eius potestate in solidum se abdicarent. Sine dubio assentiebantur Francorum proceres, et cupiebant hac conditione transigi, ut ne occupandi regni occasionem hosti darent. Verba *Abbatis* concepta sunt, qvae seqvuntur. *Per id tempus Ludovicus, qvi Austrasiis* (Francis orientalibus, et adscriptis innexisqve eorum regno citerioribus Lotharingis) *imperabat, cognita morte aeqvivoci sui* (eiusdem nominis Ludovici, Balbi a

lin-

lingvae vitio appellati) *regnum illius* (Franciae occidentalis) *invadere disposuit, et transvadato Mosa imperii fines occupavit* (Lotharingiam ulteriorem, et Franciae hucusqve coniunctam, qvam Brabantiae scriptores Cismosanam nominant, armis in potestatem redegit) *cui occurrerunt duo memorati fratres* (Ludovicus et Carolomannus, etsi natalibus non legitimis, aut sane dubiis et incertis, tamen in regnandi conditione relicti, regnum diviserunt et administrarunt, facultatemqve paciscendi habuerunt) *cum valida manu, sed intercurrentibus vicissim legationibus, neqvaqvam pugna committitur, sed pax roboratur. Adolescentes, qvo impetu foederatus ab eis recederet Ludovicus, portionem regni Lotharii, qvam avus paterqve* (Carolus calvus et Ludovicus Balbus) *tenuerat, ex integro illi concesserunt.*. Io. Iacobus Chiffletius, qvi Lotharingiam multa industria et perqvisivit, et Imperio vindicavit, Mosae transitum ad occupandum Barri tractum a Ludovico iuniore institutum fuisse coniectat. Sed expeditio haec inprimis ad Lotharingiam Francorum regno cessam comparata est, qvorsum non pertinebat Barrum, si specto antiqvum regni Lothariani limitem, intra qvem Barrum fuisse, doceri potest argumentis minime infirmis, qvae causae qvoqve Chiffletianae inservire possint. Omnino igitur Ludovicus iunior, Lotharingiam Cismosanam, nostri situs ratione ulteriorem, patri suo Ludovico Germanico velut propiori iniqve ereptam, ac deinde pacis causa pacto Marsanensi cessam, Caroli calvi, primi separatim acqvirentis, nepotibus eripuit, totamqve sub auspiciis Germanicis coniunxit. Namqve ab eo non satagente suarum rerum lacessitus est iniusto bello, qvod aliqvanto post regnante Ludovico Balbo sopitum, sed hoc mortuo, rursum acrius excitatum, prius congrua satisfactione componi non potuit, qvam reliqva haec regni Lothariani portio Ludovico iuniori in perpetuum traderetur. Qvare non ingenue existimat *Anonymus* scriptor *appendicum de securitate imperii publica*, qvum ita partibus studet,

des, ut persvadere velit, *pactionem a Balbi filiis factam magis personalem, qvam realem fuisse.* Ad haec *Ludovico II. Germanico*, rebus humanis exemto, *totum regnum Lotharianum ipso iure rediisse ad regnum Franciae, id est, ad suum totum, et in Carolo crasso unitum fuisse, Mosamqve desiisse esse terminum huius divisionis.* Nec temperavit sibi Fr. Haraeus, qvin plane inficiaretur hoc ius, qvod Ludovico II. Germanico excessione filiorum Balbi qvaesitum est: ut non possim non mirari, cur Haraeus eidem regi sub nomine *invasoris* convicium dicat, prorsusqve ita se gerat, ut non modo veritatem rei infringere, sed etiam sanctitatem pacti iurati convellere videatur. Postqvam enim bellum pace pactioneqve confectum est, desiit esse *invasor*, et Lotharingiam satisfactionis causa oblatam et cessam sine vitio tenuit, iureqve possedit. Argutiae huic argumento non conveniunt, neqve iis immorabor. Etenim ratio acqvirendi, et conditio acqvirentis, et causa modusqve cessionis non patiuntur, ut Ludovicus II. Germanicus pro se tantum acqvisivisse dicatur. Sane iactura Lotharingiae, regnum Francorum servari oportuit, atqve adeo id inter partes paciscentes actum est, ut Lotharingiae pars, qvae Francis obtigerat, nunc desineret esse Francorum, atqve eius dominium ex capite cessionis abalienatum a Francis, *in persona* paciscentis Ludovici iunioris transferretur ad Germanos. Sive igitur suo, sive tutorum nomine sive sumta auctoritate regia Ludovicus et Carolomannus pacem cum Ludovico iuniori fecerint, rata nihilominus firmaqve manet ea pactio, qvam necessitas temporum, salusqve regni postulabant. Cum enim pleriqve Francorum proceres regnum ipsum Ludovico Germanico iuniori destinarent, iamqve de eo accersendo cogitarent, tum Hugo et Theodericus, aliiqve primores Francorum diversa consilia amplexi sunt, nec regnum, sed partem duntaxat regno nuper additam ei tribuendam tradendamqve esse censuerunt. Proinde Galterus Aureliae epi-

episcopus cum his mandatis missus est ad Ludovicum Germaniae regem. *Si rex eam regni partem, qvam ex Lotharii hereditate Carolus calvus obtinuerat, sibi assumendam diceret, licere adire eam atqve possidere, modo Franciam liberam dimittat.* Hactenus narrat Robertus Gagvinus, nationis suae alioqvi studiosus, sed eo significantius totum hoc negotium descripsit Aimonius, et verbis non permissionem habendi, sed *oblationem* cessionemqve denotantibus expressit, et Ludovicum *acceptam habuisse talem oblationem, et accepta regni* (Lothariani) *parte sibi oblata, ad palatium suum Franconofurth rediisse*, affirmavit, *lib. V. cap. 39.* Cui assentiens Regino graviter et dilucide memoravit, pactum hoc ultro citroqve obligans, *datis sacramentis* insigne et sanctum fuisse, et qvod inde seqvitur, eo arctius paciscentium animos mutuo sibi devinxisse, qvod in superiori nec diuturna pactione, inter patrueles Ludovicum iuniorem et Ludovicum balbum inita non usuvenit, qvae deinceps contrario, eoqve iurato atqve irrevocabilis dominii vim habente pacto prorsus est sublata.

LXXIV. Constitutis hunc in modum rebus, inseqventes Germaniae reges Lotharingiam coniunctam et integram, iusta et continuata sex et triginta annorum successione tenuerunt, donec Carolus simplex foedus iureiurando firmamatum rumperet, cessionemqve a patre factam deinceps irritam esse vellet. Sed nondum septem anni effluxerant, qvum conscientia alieni victus ablatam Lotharingiae possessionem Henrico Aucupi restituit et corroboravit. *Aegidius de Roya in annalibus Belgicis an. DCCCCXXXIII. in cuius chronologia est mendum, qvod ex Sigeberto licet castigare.* Ab illo restitutionis tempore Henricus Auceps rex totius Lotharingiae factus, primum in ea ducatum instituit, atqve hunc deinde in Giselbertum contulit, ut suo nomine beneficioqve superiori et inferiori Lotharingiae praeesset, *Si-*

gebert. chron. an. 927. Inde nullus dux fuit, qvin supremum ius regum Germaniae agnosceret, adeo ut in utroqve ducatu coniuncto pariter et diviso, inprimisqve in superiori et Mosellano nullus nisi ab rege Teutonico constitutus, pro legitimo Lotharingiae possessore et duce haberetur. Qvare veterem hanc regni Lothariani hereditatem diligenter et perpetuo sartam tectam conservarunt omnes, qvotqvot Henrico Aucupi in Germaniae regno successerunt, nominatim Ottones Augusti, Henricus sanctus, Saliqvi, Hohenstauffii, et post magnum fataleqve interregnum Caesares qvoqve nihil de eius dominio, cessione saltem sua, detraxerunt, atqve in hac sententia sibi constiterunt. Enimvero Habsburgii et Luxemburgii non recesserunt ab hoc suo iure, et inter hos Sigismudus Imp. in concilio Basileensi pro Renato ducatum Lotharingicum ex connubio vindicante sententiam tulit, *Meyerus annal. Flandr. an. MCCCCXXXI. et Chr. Brovv. annal. Trev. lib. XIX.* Vnde colligitur, non bene eos iudicasse, qvi pronunciarunt, solis maribus addictam esse Lotharingiam, qvando in publica successionis controversia decisum est, feminas inde non excludi, qvod perinde in Lotharingia inferiori valet, ut paulo ante confirmavi.

LXXV. Dehinc imperante Maximiliano I. nihil a supremo ducatus Lotharingiae dominio ablatum alienatumqve est, sed imo tunc tractatum laboratumqve est de iure in plerasqve veteris Lotharingiae partes, valido et perpetuo foedere Germaniae innexas, qvas reges Francorum dolo malo subtraxerunt, iustamqve conqverendi causam dederunt. Extat etiamnum index, diligenter et ingenue excerptus ac editus, qvo summatim consignata sunt, qvae Franci ante Maximilianum regno Lothariano per iniuriam eripuerant, nec meliori modo cum regno Burgundico egerant, et pleraqve Imperii beneficia, ac terras lege fiduciaria obnoxias ad se traxerant, eorumqve ratione non aliter ac *detentores et usur-*

usurpatores denunciati fuerant, ut vel illud insigne publicumqve documentum sufficere posset ad Francos, certe Maximiliani I. tempore, in mala fide constituendos, *apud Io. Iacob. Chiffletium in vindiciis Hispanicis cap. XIII. unde repetit et laudat Cl. Herm. Conringius lib. de finibus Imperii Germanici cap. XXVI.* Post haec Maximiliani I. successor Carolus V. ducatum hunc nexu clientelae non solvit, neqve eo instituta est Norimbergensis transactio, ut recideretur ab Imperii corpore, et desineret eius esse membrum, et tota adeo periret obligatio, qva beneficiarii principatus continentur. Saltem ergo Antonius Lotharingiae dux ea transactione plenam libertatem non obtinuit, neqve paciscentium ista mens fuit, ut a *fidelitate feudali* eximeretur. Saepe enim privilegia et immunitates conceduntur praeter *feudorum* regulam, salva nihilominus obligatione *feudali*, qvae remissa non est, totaqve igitur transactio huc spectat, ut duces Lotharingiae inposterum liberi sint ab Imperii iudiciis, atqve ab eorum sententiis non fiant provocationes ad summum Imperii tribunal, nec teneantur lege *feudorum regularium*, ducatusqve ipsorum sine *resumtione et hominio* ad successores atqve heredes *feudales* perpetuo transmittantur. De cetero ad onera et tributa Imperii obligati maneant, *Vasallorumqve imperialium* partes et officia semper sine exceptione agant. Id qvod apte ex Francisco Thouvenino exponunt et illustrant *Chiffletius in cap. X. com. Loth. atqve ex eo Conringius cap.* XXVII. *de fin. Imp. post utrosqve Iac. Bernh. Multzius in diss. de libertate omnimoda cap. IX.* Qvocirca non desiit esse iuris imperialis, et amplius septingentis annis Regibus Germaniae devincta mansit, needum eo iure per transactionem dictam excidit, sed iustum et nemini obnoxium Germaniae dominium semper et sine contradictione inviolatum pariter atqve indubitatum iam inde ab Henrico Aucupe agnovit. Qvod cur vi et *invasione* auferri non

poſſit, et nuper etiam neqve pacto iniuſto, neqve facto violento eripi et interverti potuerit, evincere licet rationibus idoneis et firmis. Nam I. iuratum ceſſionis pactum effecit Lotharingiam aeterno foedere Germaniae obnoxiam, ut neutra deinde ab altera ſeiungi alienariqve poſſet. II. Mala fides prohibet, qvominus Franci partes ex Lotharingia detractas uſuceperint, cum utiqve non potuerint accipere bona fide partem dominii alieni, qvod iuſta et continuata multorum ſeculorum poſſeſſione pertinebat ad Germanos. III. Cauſa acqvirendi idonea et habilis deeſt in poſſeſſione Francorum, atqve adeo non proficit ad dominium a Germanis in Francos transferendum. IV. Qvando igitur, et qvoad reges Germaniae non ceſſerunt iure portionum Lotharingicarum, qvas Franci poſſident, ſeqvitur, ut ſint maneantqve hi tamdiu malae fidei poſſeſſores, donec poſſidendi titulum probent. V. Hinc non veniunt in praeſentem controverſiam regiones et dioeceſes, qvae iure ceſſionis et transactionis in Francorum ditionem traditae et acceptae ſunt, *inſtr. pac. Monaſter. §. primo qvod.* Nec prius vitium *invaſionis et uſurpationis* purgari potuit, qvam Imperator et Imperium renunciarent ſuo iuri, qvod tantisper manebat, dum ſervaretur id nomen ac titulus, qvo et ſupremum dominium deſignatur, et animus retinendi declaratur, niſi qvid ſigillatim aliter conventum et expreſſe mutatum et ceſſum fuit. Qvae ratio ſtat contra patientiam, et amolitur coniecturam derelicti, et vitioſe poſſidentem interpellat, malamqve fidem inducit, et qvod ſummatim dicendum eſt, *praeſcriptionem* interrumpit. VI. Simili ratione pronunciandum eſt de antiqvis Lotharingiae partibus ſupremo F. Belgarum dominio attributis, qvae non patientia, ſed pactione plenam libertatem cõnſeqvutae ſunt, et iamdudum ex corpore Imperii avulſae, ſuo iure utuntur. VII. Qvorſum ſpectant provinciae, qvae de Imperio detractae, ad

ad regnum Francorum accesserunt, qvas si alio, qvam cessionis titulo acqvisiverunt, iniuste possident, et reddere omnino tenentur. IIX. Eo loco numeroqve est ducatus superioris Lotharingiae, cuius dominium non potest alienari sine concessu domini *feudalis*, sineqve consensu agnati iure sangvinis causam successionis suae fulcientis: multo minus, inconsulto et invito utroqve, eius possessio subita et iniusta vi auferri potuit nuper. Res qvippe aliena violenter intercepta, nec pacto cessa, nec derelicti indicio amissa, non desiit esse aliena, et vero domino manet obnoxia, eiusqve possessio etiam solo animo retinetur. Atqvi nunqvam iure suo cessit Imperium, et missa legatione ducatum hunc nuper repetiit, atqve in ipsa demum novissima pace ab hac dominii retinendi sententia non discessit. Negat qvidem hoc *iustum feudi dominium* Anonymus, sed contra rerum actorumqve documenta loqvitur, et nugas agit. IX. Similiter Alsatia non alio, qvam pactionis titulo, atqve iis qvidem dominii finibus, qvibus antehac descripta et possessa ab Austria fuerat, cessione Imperatoris ex corpore imperii decerpta regno Franciae accrevit. *Inst. Pac. Mon.* §. *tertio Imperator.* Nisi qvod Argentoratum, et X. Alsatiae civitates ad eam cessionem non pertinent, et etiamnum regni Germaniae membra sunt, nec pace Neomagensi pristinum hunc statum commutarunt. Illud enim per se constat, in praefectura provinciali non inesse supremum dominium, et salva harum libertate sub auspiciis Germanicis retinenda intelligi oportere. Tanto minus iuri imperiali derogat proxima *invasio*, utpote qvae non sortitur effectum acqvirendi iure gentium, et convellit pacta publica, qvibus Imperator et Imperii Ordines, atqve una Rex Franciae mutuo sese obligarunt: ut aliter fieri non possit, qvin per talem *violentiam* possidens, in mala fide constituatur, et qvod conseqvens est, nullum sic possidenti ius *usucapione et praescriptione* acqviratur et tribuatur. X.

Ali-

Alias Lotharingiae veteris partes omitto, qvae non uno atqve eodem tempore in regni Germaniae ditionem clientelamqve venerunt. Enimvero Vbiorum et Trevirorum Antistes ad annum usqve DCCCLXX. in separata regni Lothariani ditione fuerunt, atqve hinc sub auspicio regnoqve Ludovici Germanici, unde ultima *Capitulationis* initia repetenda sunt, cum republica Germanica coaluerunt. Speciatim affirmat Brovverus, Trevirorum Pontifices post annos centum et unde qvadraginta sumto nomine Germanico, Lothariense omisisse, *annal. Trev. lib.* X. *p.* 480. Sed Moguntinae sedis Pontifex semper extra regni Lothariensis ditionem fuit, et statim, atqve in ipsis regni Germaniae incunabulis cum nomine et iure Germanico coaluit, atqve ibidem et deinceps etiam facta accessione regni Lothariani Antistitum, primas tenuit inter Principes Praesulesqve universos. XI. Ex eo Lotharingiae regno ortum est *Lotharicbium*, qvod Brabantiae ducatu angustius est, et sola Herstalli ditione continetur, *apud Divaeum lib. VII.* Dissentit Brovverus, et forte usu recentioris aevi nititur, qvanqvam ducatus Lotharingiae inferior antiqvitate praestat, et potiori iure titulum hunc obtinet, adeo ut pleriqve et praestantes historici regionem Mosellanorum, cuius caput est Nanceium, nominent *Lotharingiam novam. Louvvius not. ad Molan. cap.* LXXI. Et Haraeus Lotharingiam inferiorem a ducatu Mosellanico distingvit, et auctor est, Lovanium Brabantiae caput, veteris Lotharingiae insignia retinere, *L. 1. p. 166.* At postea Lotharingiae nomen in ducatu inferiori sensim exolevit, titulus autem iure servatus, et a Brabantiae ducibus Austrii sangvinis recte adhibitus fuit. Vt non habuerit David Blondellus, cur in *praefatione apologetica* eo nomine inveheretur in Carolum V. perinde ac si inconveniens fuisset, Lotharingiam a Brabantia tituli ratione distingvi. In qvo genere secutus est Imperator morem superiorum Brabantiae ducum,

cum, qvi titulos Lotharingiae (inferioris) et Brabantiae ſolicite diſcernunt ac retinent, qvos imitari, et nihil ex inſtituto maiorum, et uſu curiae mutandum eſſe bene et ſapienter iudicabat. XII. Multae deinceps portiones ab hoc ducatu ſeiunctae, atqve inprimis donatione Caeſarum, et emptione Antiſtitum in patrimonium Eccleſiae Colonienſis ac Leodienſis redactae conflataeqve ſunt, ut ſummo nihilominus Germaniae imperio continerentur. *V. Rob. Gagvinus hiſt. Franc. lib. V. p. 77.* Nec meliorem fortunam expertus eſt ducatus Lotharingiae ſuperioris, cum qvo multis ſeculis vinculo clientelae imperialis coniunctus fuit ducatus Barrenſis, ſed poſtea ex Caeſarum beneficio agnoſci deſiit, et tantum non deſtitutus derelictusqve fuit. XIII. Longum foret ſigillatim exponere omnes regni Lothariani partes, qvarum omnes eae iure imperii adhuc cenſentur et continentur, qvae neqve iuſto ceſſionis pacto, neqve idoneo derelicti argumento abalienatae ſunt, ut ſufficienter conſtare poſſit de voluntate et effectu dominii translati. XIV. Non vacat nunc cum Chiffletio contendere de *Lotharingia Moſellanica,* iurene virili ſemper cenſeatur, nec ne? Sunt argumenta non pauca, nec imbecilla, qvae ad legem Salicam Lotharingiae oppugnandam permultum valent, qvorum pleraqve attulit *Gab. Barth. Gramondus hiſt. Gall. lib. XV.* Qvae deinde refellenda ſibi ſumſit Chiffletius, ut probaret, Lotharingiam eſſe maribus propriam, in libro ſingulari hoc nomine tituloqve inſcripto, *cap. 8. Lothar. maſculin.* Sed hic ipſi non aſſentior, fretus rationibus et exemplis, qvae Lotharingiam ad feminas devolutam fuiſſe oſtendant. Inter alia notum et inſigne eſt Iſabellae connubium, qvo ducatus Lotharingiae Moſellanae ad Renatum Andegavenſem delatus eſt, manifeſto iuris feminei argumento per ſententiam ſupremi domini beneficiarii luculenter declarato, *qvod extat apud Henricum Spondanum in continuat. annal. Baron. ad an. 1435.* Nec

minus probat Conradus Offenbachius iureconſultus in erudita epiſtola. qvam ad Carolum Lotharingiae ducem perſcripſit, et commentariis Matthaei Gribaldi IC. praemiſit, *an. MDLXXVII. edit. Francofurt.* Niſi qvod Idae exemplum ibi allatum non congruit probando iuri femineo ducatus Moſellani, ſed omnino ſpectat ad Ripuariam, cuius dux fuit Godefredus Bulionius. Illud etiam a vero abeſt, qvod eodem in loco tradit, Lotharingiam ab Imperii vinculo plane abſolutam fuiſſe usqve ad Ducem Antonium, qvi primus ſe cum Germanis devinxiſſet. Qvod refellere ſupervacuum duco qvando iam publice notum, et ſatis confirmatum eſt, Duces Moſellanos ſemper in fide et clientela imperii fuiſſe. Alioqvi de controverſia Renati cum Antonio Comite Vallemontano vid. *Paulus Aemilius lib. X. Iac. Meyerus annal. Fl. an. MCCCCXXXII.* Haud diverſa ratio eſt ducatus Barrenſis, etſi qvidam diſſentiunt, et feminas ab eo excludi exiſtimant, apud Fr. Belcarium *in commentariis rerum Gallicarum lib. V. cap. 7.* Qvod eo magis nunc concedendum eſt, poſtqvam ducatus Barrenſis ditionis Gallicae fieri coepit, nec diſpar ratio futura eſt ducatus Lotharingiae, ſi aliqvando Francogalliae iuſte acqviri et innecti qveat. XVI. Coniunctionem utriusqve Lotharingiae in animo molitus eſt Carolus audax, prenſavitqve regis Burgundiae titulum, iamqve habuit Fridericum III. Imperatorem valde propenſum ac promtum, unde, ſi hoc eveniſſet, ad regnum Lotharingiae inſtaurandum facilis expeditaqve via fuiſſet. Qvae occaſio omiſſa eſt, poſtqvam Ludovici XI. Imperatorem ab incepto dehortantis, hoſtiumqve Caroli conſilia foventis, et ſuſpicionem metumqve paſſim augentis ſolicitudo impediebat, qvominus haec deſtinata perficerentur. *Pontus Heuterus rer. Burgund. lib. V. cap. 8. ſeqq. ex eoqve Chr. Browerus annal. Trev. lib. XIX. Iacob Meyer annal. Fland. an.* MCCCCLXXIII. Non erat dubium, qvin ea res periculoſum ancipitemqve exi-

exitum habuisset, si Carolus nihil modicum cupiens promissum a Friderico regiae dignitatis gradum, qvamvis ex beneficio Imperatoris agnoscendum, obtinuisset. Etenim ratio prudentiae non ferebat, ut eveheretur ad tantum fastigium, qvi Caesari foret potentia par, et forte data occasione fieret aemulus, ac deinceps non modo Augustae domui terribilis, sed etiam facile maior evaderet, ac forsan ambitiose peteret, qvod pater Philippus recusaverat Imperium, siqvidem ea non moderata consilia prospero rerum successu adiuvarentur. Cuius animi indicium fuit, qvod se continere non potuit, qvin ius creandorum Comitum sibi novo exemplo sumeret, regnandiqve cupiditatem publice testatam faceret, et Ioannem Croium Chimaci Comitem solenni ritu renunciaret. *Aub. Miraeus in Not Eccl. Belg. cap. CCXXXVII.* Sed Friderici Imperatoris cunctatio, et Ludovici XI. calliditas totam hanc Carolo spem, et Campobacchii simulatio ac perfidia vitam qvoqve ei ademerunt. *Paulus Aemilius lib. X. Phil. Cominaeus lib. VII. Pontus Heuterus lib. V. cap. 14. Carolus a Marca in Carolo bellicoso.*

§. LXXVII. Satis pro instituti ratione explicatum vindicatumqve est Germaniae ius, qvatenus pertinet cum ad regnum hoc per se liberum ac nemini obnoxium, tum sigillatim ad Lotharingiam ditioni dominioqve eius subiectam. Reliqvum est, ut de Imperio Romanorum, qvod cum regno Germaniae aeterno foedere coniunctum est, aliqvid subiungam, ut veris certisqve indiciis intelligatur, omni eius iure excidisse Francos. Nam defuncto sine liberis Carolo crasso, atqve inprimis digresso ex Italia Arnolpho, Augustum illud Imperii decus de voluntate populi Romani repetitum, et ad Italiae Principes bello pactoqve delatum, ac deinceps a Carolina gente destitutum derelictumqve est, ut nemo posthac esset inter Francos, qvi vel in Italiam redeundi, vel iuris repetundi animum publico et evidenti signo declara-

ret. Poſtea autem accidit, ut reges Italiae valde inter ſe diſſiderent, et crudeliter omnia facerent, et fidem pactaqve violarent, atqve eam ob cauſam Pontifex populusqve Romanus defenſorem et vindicem circumſpicerent, Ottonemqve I. ad opem ſibi ferendam invitarent. Non recuſavit Saxo, et movit in Italiam, et Berengarium iuniorem armis ad officium redegit, ſed pacis leges non diu ab eo ſervatae ſunt, et ad hanc perfidiam multae et graves illatae populo Romano iniuriae, praeſertim ſuperbia et ſaevitia acceſſerunt. Sic illi uni ex omnibus Germanis contigit, qvod ante eum nemini, ut Imperium Romanorum a tyrannide defenderet, et Berengario iuniori ereptum iuſte conſtitueret, primusqve auguſtam hanc dignitatem Germaniae perpetuo retinendam inferret. *Frodoardus in Chron. an. 962. Regino Chron. an. eod. Liutbprandus hiſt. Lib. VI. cap. 6. Carolus Sigonius de regno Italiae lib. VI.*

§. LXXVIII. Hinc ſeqvitur, ut eliciam I. Imperium Romanorum non una et eadem acqvirendi ratione perveniſſe ad Germanos et Francos: qvandoqvidem Carolus M. Francorum Rex ſummam Romae poteſtatem titulo pacti obtinuit: Otto autem, qvi ceteroqvi Carolum M. factis et nomine aeqvavit, iure belli acqviſivit Imperium, et perduxit ad Germanos. II. Qvae Ottonis M. occupatio permultum differt a *translatione*, qvippe qvae ſpectabat ad Carolum M. et pacto fiebat, et ratione acqvirendi derivata continebatur. III. Nec aeqve late patet utraqve acqvirendi ratio, nec idem plane utriusqve effectusqve eſt, propterea qvod titulus belli plenum et *patrimoniale* ius tribuit, idqve conſenſu et uſu moratiorum gentium comprobatur. Qvae res aliter ſe habet, qvum agitur de iure certa pactione translato, ubi paciſcens tantum acqvirit, qvantum et qvousqve is vult, qvi transferendi poteſtatem habet. IV. Igitur *translatio* imperii Romanorum, qvatenus ad Carolum M. pertinebat,

nebat, verum qvidem summumqve ius ex mente et voluntate paciscentium Carolo traditum designabat. Sed qvam late patuerit, et utrum id Carolus M. sibi tantum et aliqvibus successoribus, an toti familiae suae acqvisiverit, ex pacto *translationis* sane est decidendum. Hugo Grotius, vir in iudicandis gentium controversiis maximus, non veretur dicere, fuisse *electionem personalem in Carolum magnum, et qvosdam eius successores. I. B. et P. lib. II. cap. 9. 11.* Nihil temere affirmaverim, sed nec temere negaverim auctorum eventa, qvae omnino conciliari non possunt cum iure Imperii mere hereditario, qvod ponitur delatum esse ad Carolum Magnum. Tum vero nullo heredum mentio fit in eo pacto, qvo augusta haec dignitas ad Carolum M. transfertur. Vt alia taceam, id saltem nunc evincere cupio, qvod SPQR. ita se in toto hoc negotio gessit, ut nollet imperium deferri ad omnes Caroli M. successores. Id qvod certe erat indicio, populum Romanum non in solidum ius Imperii alienasse, nec genti Carolinae hereditaria lege possidendum attribuisse, multo minus universae Francorum nationi perpetuo retinendum addixisse. Qvorsum vero non spectat regnum Italiae, qvod bello, non pacto Carolus M. acqvisivit. V. Idcirco Franci Capetini, nullum ius in Imperium Rom. sumere sibi possunt ex capite Francorum Carolinae gentis, qvippe qvorum iam diu ante desierat esse Imperium Romanum, cum id Otto M. iusto bello occuparet. Nam sine dubitatione Reges Italici inde ab Arnolphi tempore Imperium Romanorum tenuerunt, et saltem pleriqve eorum legitimi Imperatores fuerunt, donec Berengarius iunior fidem et pacta convelleret, tyrannide oppressurus populum, nisi Otto M. adiutor liberatorqve contigisset. Extant numi, diplomata, legumqve tabulae, qvae testantur et probant, Berengarium Seniorem, Gvidonem, Lambertum, Ludovicum Bosonidem et electos et consecratos fuisse

Romanorum Imperatores, qvos ſine diſcrimine non licet tyrannos appellare. Sed Berengarius iunior merito his adnumeratur, qvi non modo non ſervavit conventas leges, ſed qvoqve admiſit in clientelam, qvam victus ob redditum et relictum Italiae regnum Ottoni M. profeſſus erat, *ſupplementum Reginonis An. DCCCCLII. Sigebertus an. 955. 961. 963.* In hanc ſententiam ſcribit Sigebertus: *tyranni* (Berengarius iunior, et eius filius Adelbertus) *a Papa* (Iohanne XII. urbis Antiſtite et primo cive) *et Romanis* (Senatu populoqve Romano) *abiurantur.* Iſta autem Berengarii *abiuratio* non fuit cauſa acqvirendi Rom. Imperii, ſed conſeqvens, ideo qvod Otto Magnus iure belli ſummam poteſtatem fundavit et tenuit, ac proinde aliter fieri non potuit, qvin populus Berengiarium *abiuraret*, cum ſane duos Imperatores habere non poſſet. VII. Amplius apparet, ſub hoc tempus nullas eligendi partes habuiſſe populum, ut qvi nihil in Ottonem M. conferre poſſet, qvod non iam tum poſſideret, qvippe qvem ſciret, belli victoriaeqve titulo ſubnixum, iure ſuo imperare, et qvod ratio acqvirendi *originaria* exigit, nulla electione, aut pacto ad ius Imperii conſeqvendum indigere. IIX. Proinde tunc non idem, qvi antea, fuit Romani populi ſtatus, qvoniam ius eligendi, qvod ſuperiori tempore habuit, qvodqve poſt mortem Caroli M. et qvorundam eius ſucceſſorum reipſa exercuit, hac Ottonis M. occupatione eſt extinctum. IX. Non modo igitur Otto M. non ſucceſſit in Imperio ratione Francorum, ſed ne ſucceſſit qvidem Francis, qvorum ius de ſententia populi Romani antiqvatum, et nova *electione* ad Principes Langobardici ſangvinis vere ac ſolenniter delatum fuit. X. Illud vero non neceſſitatis, ſed cautionis fuit, qvod Otto M. iure belli firmatus et fultus, cum S P Q R. pactionem faciendam eſſe duxit, qvae qvidem non ſpectabat ad cauſam poſſidendi, ſed ad ſecuritatem retinendi Imperii, dum Romani ultro fatebantur, Otto-

to-

tonem Magnum, iure armis qvaesito uti, et ex eo capite etiam iuste sibi imperare. Qvibus rebus agnoverunt testatiqve sunt, se pacto suo non dare ei summam potestatem, qvippe qvam iusto bello acqvisitam plene tenebat, sed solum declarare suam iure belli introductam parendi obligationem. XI. Ceterum pacti cum Ottone M. initi, vis praecipue in eo sita erat, ut praeter verum validumqve belli ius, voluntaria qvoqve populi Romani cessione omnis in universum potestas repetendi ac revocandi Imperii prorsus in posterum extingveretur, Imperiumqve Romanorum aeterno foedere cum regno Germaniae coniungeretur, adeo ut Germani deinceps eadem *electione* Reges sibi, et Imperatores Romanis summa, et in perpetuum mansura potestate statuerent et crearent. Vbi distingvendi sunt anni occupationis Imperii, et pacti de Imperio, qvorum illa anno DCCCCLXII. contigit, hoc anno DCCCCLXIV. insignitur. Qvod observari par est, et facit, ut clarus intelligatur Liuthprandus, qvi sexti libri sexto capite notat priorem annum verbis, *dehinc Romam:* posteriorem designat seqventibus. *Iuxta urbem Imperator castra metatus est. Roma Papa simul atqve Adelbertus aufugiunt. Cives vero sanctum Imperatorem cum suis omnibus in urbem suscipiunt, fidelitatemqve promittunt: haec addentes, et firmiter iurantes, nunqvam se Papam electuros, aut ordinaturos praeter consensum atqve electionem domini Imperatoris.* Qvod expressum publicumqve pactum iustitiam Ottoniani belli, et potestatem victoris indicat, populiqve assensu declarat, qvi non verosimiliter, sed certo supremum Ottonis M. dominium agnoscebat, et fidem atqve conscientiam *subiectionis* iureiurando qvoqve solenni profitebatur et confirmabat. XII. Ad hos belli et pacti titulos accessit *praescriptio*, eaqve non longissimi temporis saltem, aut *centenaria* forsan, aut illa demum, cuius temporis memoria non extat, sed qvae cum

diu-

diuturnitate longe maior, tum effectu certe valentior eſt, propterea qvod ſeptem integra *continuataqve* ſecula excedit. Enimvero hoc tam diuturnae poſſeſſionis *praeſcriptionisqve* praeſidium valet firmumqve eſt inter qvaslibet cultiores gentes, ut ſervetur earum tranqvillitas, et litium bellorumqve finis ſit, parcaturqve ſangvini hominum, ipſorumqve inter ipſos ſocietas ne diſſolvatur. Contra qvod commune ius gentium nulli populo, qvantumvis florentiſſimo, datum relictumve eſt privilegium, qvod ab eius obligatione ſe eximat, aut qvoqvomodo immunem reddat. Eo minus qvidam novi ſcriptores habent, cur hoc in dubium vocare poſſint, ne vel ſic aliis populis, qvi ante eos Galliam tenuerunt, recuperandae Galliae ius concedere videantur. Aut enim non convellenda eſt *praeſcriptio*, aut Romani, Vandali, Alani, Burgundiones et Gothi, eorumqve ſucceſſores et poſteri audebunt venire repetitum, qvod ante Francos habuerunt.

XIII. Veruntamen ſuperiori Romanorum pacto non eſt comprehenſum Italiae regnum, qvod dudum Romanae ditionis eſſe deſierat, nec minus a Francis deperditum derelictumqve fuerat, et diverſam a Romanorum Imperio rempublicam conſtituebat. Hinc ratione eius nihil egit promiſitve Ottoni Romanus populus, et ipſe etiam victor in *acqviſitione originaria*, iure gentium, tutus acqvievit, nec *declarationem ſubiectionis*, nedum pactum aliqvod voluit aut flagitavit. Omnino autem haec Ottonis Augusti mens fuit, ut nunqvam deinde iſtud Italiae Langobardicae regnum, ab Imperium Romanorum ſeiungeretur, multo minus ad alios, qvam ad Germanos transferretur. Docet hoc continuata Caeſarum nationis Germanicae poſſeſſio, qva ſummum huius regni dominium ſemper et eodem iuris tenore ſervarunt, nec unqvam ſepararunt, nedum alienarunt, et ratione primi acqvirentis Ottonis M. ad ſe delatum vere et conſtanter usqve ad hoc tempus retinuerunt. Qvorſum

vid.

vid. *Herm. Conringius in erudito libro de Germanorum Imperio Romano.* XIV. Proinde in eo regno nihil iuris habuit Henricus Auceps, utpote qvi regno Germaniae contentus non venit, nec movit in Italiam, nec regnum Italiae armis aut pactione qvadam capeſſivit ac tenuit, neqve conſilium adeundi Romam niſi ſub ultimum vitae tempus ſuſcepit, neqve ſic vero illud morte ereptus perfecit, ut auctor eſt *VVitecb. Corb. Annal. l. et ex eo Abbas Vrſpergenſis.* Nam *unctio* et *diadema*, qvae ei ab ſummo Pontifice Herigero offerebantur, ſpectabant ad conſecrationem titulo regni Germaniae peragendam, *apud VVitecbindum lib. eodem, atqve ex hoc Abb. Stadens. an. DCCCCXX.* Etenim Herigerus erat ſummus Pontifex Germaniae, et nihil offerebat praeter ſolemnia Regni Germaniae, in qvo primarii praeſulis dignitate fungebatur. Qvo tempore cum dignitate Archiepiſcoporum Mediolanenſi Eccleſiae praefuerunt Garimbertus, Lambertus, qvi Rodulphum Italiae Regem Ticini inauguravit, et Hilduinus, a qvo conſecratus eſt Mediolani Hugo, qvi contra Rodulphum Burgundionem et accitus, et Rex Italiae declaratus, cum Henrico Aucupe Germaniae Rege amicitiam iunxit, id qvod liqvet ex *Conrado Vrſpergenſi, Carolo Sigonio, et Carolo Borromaeo.* Illorum aeqvalis Ioannes Ravennas tunc Romae Pontificatum geſſit, ac ſeniorem Berengarium Caeſareo inſigni ornavit et conſecravit. Poſt huius Pontificis deceſſum a Leone VI. et Stephano VIII. ac Ioanne XI. et Leone VII. tum Stephano VIII. nec non Martino II. atqve Agapeto II. omiſſa eſt Caeſarea conſecratio usqve ad Ioannem XII. eo qvod Regum Italiae mores Pontifici et populo Romano non placerent, et inter eos praecipue Berengarius iunior, filiusqve Adelbertus ad tyrannidem niterentur, perqve Italiae regnum velut gradum ad exitium Ro. urbis graſſarentur. Qvamobrem Ioannes XII. de ſententia S P Q R. unxit et inauguravit Ottonem Magnum, ut conſtat ex *Liutb-*

prando, et Monacho Herveldensi in chron. an. 962. Blondus Flavius dec. II. lib. 3. ubi et recenset opinionem dissensumqve Gratiani errore decepti. Ante eum nemo fuit omni memoria inter Germanorum Reges, Arnolphum secutos, qvi ius titulumqve possideret Regis Italiae, vel Imperatoris Romanorum. Qvod indicio est, mendosum esse initium diplomatis, qvod reperitur apud *Aub. Miraeum capite XXX. Codicis donationum piarum. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator.* Si, ut manifestum est, rerum, personarum, temporumqve rationes congruunt, legendum est, *Henricus divina favente clementia Rex.* Cuiusmodi numos vidi veteres et veros in vicina Marchia apud *Brennaburgum* erutos, qvi solum Regis titulum habent. Idcirco iam satis, me non monente, intelligitur, Henricum, et *praecessores* ipsius Conradum I. et Ludovicum IV. perperam dici Caesares, et Imperatores Romanorum; qvod tamen non solicite distingvunt pleriqve hodierni, nec ab his studiis alieni scriptores, *Io. Palatius, Io. Wolfg. Textor, Samuel Rachelius, et perplures.* Nam qvod a VVitichindo *Imperator* nominatus est, id non pertinet ad Augustam, Romanorum dignitatem, sed ad summum rei militaris elogium, designatqve fortitudinem pariter et felicitatem Regis, belli gloria et rerum gestarum amplitudine in Europa tunc facile eminentioris. Hinc tradit VVitichindus: *Pater patriae, rerum dominus, Imperatorqve ab exercitu appellatus, famam potentiae virtutisqve cunctis gentibus et regibus longe lateqve diffudit, Annal. I.* Nihil hic egit et dedit SPQR. nihilqve pacto aut transactione attribuit et cessit, sed exercitus duntaxat Germanicus his verbis Regi suo solenniter acclamavit, et plausum gratulationemqve ob tot et tanta bella feliciter confecta laetus libensqve significavit. Nullum autem ius, ne in Germaniam qvidem dare potuit, qvippe qvod non de voluntate exercitus, sed ex *electione* procerum populiqve Germaniae iam ante hanc accla-

ma-

mationem Henricus Rex obtinebat. Neqve melius de *coronatione Caesarea* iudicat *Io. Bernh. Mulzius*, qvum tradit, Imperatores electos noluisse per hunc ritum discerni a *coronatis*, eo qvod Carolus V. etiam post *coronationem* voluisset dici electus Imperator. Voluit, fateor, et prudens sciensqve distinxit *Coronam* Germanicam a *Corona* Romana, qvarum illa qvidem A. MDXX. Aqvisgrani, hac A. MDXXX. Bononiae insignitus inauguratusqve est, ut constat *ex actis coronationum publice editis et Fr. Guicciard. hist. lib. XIII. Paul. Iovio, lib. XXVII. Io. Sleidan. com. de statu relig. lib. I. et VII. Conf. Catell. Cotta ICtus Mediolan. in memorial. voc. Imperator.* Qvas diversas *coronationes* non apte discernit Mulzius, rationesqve et causas discriminis non asseqvitur. Fert hic occasio, ut aliqvid addam de *corona* Langobardica, qvam dicto loco ferream nominat Iovius. Consentiunt *Io. Cuspinianus, Carolus Sigonius de regn. Ital. lib. VII. Bartholomaeus Scala, qvem supra laudavi, hist. Florent. lib. II. p. 58. Auctor glossae ad Henricum Rebdorff. an. MCCCXLVIII. Erycius Puteanus hist. Insubr. lib. II. cap. 7. et lib. VI. cap. 11. Ante hos Petrus de Andlo de Imperio Romano lib. II. cap. 6. Ibidem Not. Marq. Freber. p. 165. 166.* At penitius inspicienti huius *coronae* materiam non potest esse dubium, qvin ea iuxta cum ceteris coronis aurea dicatur. Nisi qvod non licet inficiari, *circulo ferreo interiore fuisse intextam*, qvod narrat et fatetur ipsemet *Sigonius de regn. Ital. lib. I. an. 591.* Ex qvo repetit *Io. Limnaeus in Addit. ad I. P. lib. II. cap. 4. num. 51.* Vnde sumta est occasio populariter appellandi *coronam ferream*, qvae revera ex auro confecta est, et iure igitur aurea appellatur. Non dissentit *Rud. Goth. Knichenius in notis ad Er. Puteanum. lib. II. cap. 7. et alibi.* Veterem et diversam sententiam seqvitur *Cl. Augustus Buchnerus ep. CXI. part. I.* XV. Illud qvoqve non omittendum est, qvod sanctiones Imperatoriae, in qvantum hoc nomine per se veniunt, non pertineant ad

Germaniam, qvippe qvae nec Imperio Romano subiecta, neqve pars accessiove eius facta est, neqve unqvam leges Romanorum cum obligatione parendi, sive expresse, sive tacite declarata accepit, sed earum duntaxat usum salva libertate sua admisit, et aliqvot abhinc seculis in curias forumqve introduxit. Imperatorum ergo veterum Constantini, Theodosii, Iustiniani, et aliorum *Constitutiones* non modo porrectae sunt in Germaniam, sed ne semper qvidem in Italia universa obtinuerunt, aut precario saltem in aliqva eius parte relictae fuerunt. Id qvod Papiensibus usu venit, postqvam Langobardi Italiam insederunt, *Bernardus Saccus Ticin. hist. lib. VIII. cap. 12.* XVI. Amplius notum atqve perspicuum est, regnum Germaniae non esse surrogatum Imperio Romanorum: multo minus cum eo commutatum confusumqve esse, sed per se consistere, suisqve finibus contineri, nec nisi perpetuo foedere cum illo coniungi atqve consociari. Neutrum ceteroqvi alterius pars est, neutrumqve alteri imperat aut paret, sed utrumqve diversa ratione regitur, et diverso qvoqve titulo possidetur. Non dignas refutatione nugas praetereo, qvae sive antiqvitatis ignorantiam, sive ingenii vanitatem ac ambitionem produnt, et plerosqve sic transversos agunt, ut nec reverenter et contumeliose de summo Imperatoris Ro. iure loqvantur. In qvo genere nihil non sibi indulsit *David Blondellus*, nec argumentis, sed captionibus rem tanti momenti conficere voluit, neqve eo melius causae huius praesidium constituit *Dissertator Anonymus*, in qvibus refellendis dudum homines docti diligenter elaborarunt, operamqve nostram occuparunt. Tanto minus attinet referri *Aubriana axiomata*, plena ineptiarum, qvae si falsa esse conarer ostendere, exhiberem sane auctorem omnis iudicii expertem. Proinde est manetqve adhuc Imperium Romanum, et qvidem est manetqve in perpetuum apud Germanos, et nomine, titulo ac dignitate inter omnia Imperia

et

et regna eminet, atqve in iis rebus actibusqve etiamnum cernitur, qvibus omnino summa et augusta potestas continetur, et aeterno foedere cum regno Germaniae continuatur. Qvamobrem *donationes* Imperatorum semper cum exceptione supremi dominii factae sunt, qvarum interpretatio liqvet ex Francorum Germanorumqve diplomatis, qvibus addita est expressa clausula, qva reservatur et retinetur supremum ius Caesareum, id qvod *Conringius* et *Boeclerus* nuper erudite vindicarunt. Pontificem urbis Episcopum multa sane constituunt in mala fide, et qvominus usucapere possit, praeter alia impediunt qvoqve Caesarearum confirmationum tabulae, qvae etiamnum ab electo Imperatore non frustra, et evidenti *agnitae subiectionis* documento petuntur. Nec officit sola diuturna possessio, neqve obtendi potest *praescriptio*, qvam Caesares tamdiu interrumpunt, qvamdiu Romanorum Imperatores vero, nec imaginario iure se appellant, dominosqve urbis, et Pontificis *patrimoniiqve Ecclesiastici* haud dubio summae potestatis indicio se demonstrant. Id qvod Ipsimet Romani Pontifices agnoscunt ac reputant, et tam insignem augustumqve titulum Regibus Germaniae servant, atqve Imperatores Romanos vere et merito appellant. Neqve huic iuri fraudi esse possunt, qvae *Annotator Beckerianus* pro asserenda Pontificis causa adversus Conringium attulit, qvando omne praesidium in praescriptione collocavit, *Henniges ad lib. I. cap. 2. Synops. iur. publ. Wilh. Beckeri.* XVII. Pariter Romanus Imperator habet in regno Italiae obnoxios sibi lege beneficiaria Principes, ac de iis suo et supremo iure disponit, et de perfidia in se admissa cognoscit, et causa cognita vindicat mulctatqve. *Ioach. Hagemeier I. P. E. ep. sexta.* Qvorsum spectabat expeditio Ferdinandi II. auspiciis suscepta, ut Carolus Gonzaga Niverni dux supremum Caesaris dominium agnosceret, et Mantuae Ducatum, ac Montisferrati Marchionatum iure fiduciario

ab eo acciperet, et deinceps, parte eius duntaxat Sabaudo cessa, retineret. *Paulus Piasecius, et Ad. Bracbelius an. MDCXXIIX. et MDCXXX. ibidem Th. Carvaeus, Ev. Wassenbergius in bello Italico.* Neqve hic, *belli in Vasallum moti Imperatori color erat, ut refert in libro hist. decimo octavo Gramondus,* sed in eo ius supremi domini versabatur. Nostra memoria Ferdinandus III. ex capite supremi ac *directi* huius dominii in causa Ducis Mutinae et Regii iudicem se tulit, et obnitentem severe commonuit, poenamqve proscriptionis imperialis minatus est, nisi desineret lacessere ducatum Mediolanensem, tanqvam beneficiarium Imperii membrum. Formulae mandatorum avocantium passim vulgatae sunt, et extant qvoqve *in scripto de iustitia armorum Imperatoriorum.* Neqve id non indicat *Archicancellariatus* per Italiam, qvi supremum Italiae dominium arguit, et clientelas ab Imperio dependentes respicit ac designat. *Mulzius de lib. omnimod. cap.* VIII. Qvanqvam nunc in effectu solus Moguntinus eo munere perfungitur, et aulae Imperialis curiae praeest, et acta decretave publica, et beneficiarias concessiones, qvatenus ad Imperii ditionem pertinent, expedit ac subsignat, unde et in perqvirendis *feudorum* Italiae *alienationibus* praecipua ratio est *Cancellariae Moguntinae, Capitul. Leopold. art. 12.* Qvin et *Vicariatus* Italiae refert Imperatorem, denotatqve dignitatem ab eo tanqvam Rege Italico concessam, qvam Dux Sabaudiae ab excessu Ferdinandi III. sibi restitutam, in suis atqve Italiae terris insigni cum praerogativa habet et administrat. *noviss. Capitulat. art. 4.* Etenim ille Dux saltem nomine ducatus Sabaudiae, itemqve Pedemontii et ratione eorum, qvae ex regno Arelatensi possidet, est Princeps regni Germanici beneficiarius, Germaniaeqve iudiciis obnoxius, et Caesarem qvatenus Italiae Longobardicae Regem, dominum iudicemqve non agnoscit. Sed propter Rocheveranum, Olnum et Caeso-

ſolam obtinuit *ſuperioritatem*, qvam, non improbante *Io. Limnaeo*, de ſupremo dominio communiter exponunt, et inter hos ſunt *Andr. Oldenburger, in* Limnaeo *enucleato*, *lib.* III. *cap. XXII. num. 2. Iac. Bern. Mulzius, et plures.* E diverſo alii interpretantur, non qvod tres praedicti tractus ab Imperii ſuprema iurisdictione in univerſum exemti, et nulla prorſus ratione eidem devincti ſint, ſed qvod nulla ratione nexus beneficiarii proxima, qvae tunc qvidem in controverſiam veniebat, ab Imperio dependeant et ſuſcipiantur, atqve adeo ſalvo Imperii ſupremo inre intelligantur. Poſt multos et graves ſcriptores, inter qvos eſt *Hermannus Conringius*, hanc ſententiam probant *Io. Vol. Becbmannus, et Gab. Schvvederus iureconſulti.* Vtcunqve ſit, Sabaudus eſt Imperii Princeps, et per Italiam Vicarius, et argumento huius muneris habet agnoſcitqve ſuperiorem, cuius vices gerit. Subſcribit *Anonymus* apud Gramondum, et recte iudicat de hoc Duce, nominatqve *Imperii* (per Italiam) *Vicarium*, et affirmat, *Pedemontium Imperio ſubiacere, hiſt. lib. I.* Imprudenter, et ſine diſcrimine loqvuntur et cenſent, qvi Ducem hunc eo loco et numero, qvo ceteros Italiae Principes, habent, regionesqve ipſius non diſcernunt, propter qvas ad Germaniam ſpectat. Nam inſignes eae portiones, qvas ille Dux ex regno Burgundico reſiduas habet, non ſunt membra regni Italiae, ſed corpori Germanico accreverunt, necdum ab eo ſeiunguntur. Vnde oritur ius veniendi ad Comitia Germanica, qvod non obtinet, in qvantum eſt regni Italiae membrum, ſed in qvantum habet clientelas et partes Germanici regni. Simul ex hac ratione ad eum attinent ſententiae Tribunalis Spirenſis, et mandata publica decernuntur. *Banni* in Sabaudum promulgati exemplum eſt apud *Adrianum Gylmannum, magnae auctoritatis iureconſultum, et in ſuprema Spirenſi Curia Aſſeſſorem. in praeiudiciis Cameralibus p. 56. De Pedemontio dubitat. Io. Theod. Sprengerus Inſtit. iur. publ. lib. III. cap. 23.* Multi exemtum putant, titulum-

lumqve occupationis adferunt, et ſupremum eius dominium Duci Sabaudiae adſcribunt, *apud Cbr Funccium,Orb.Imp. part.*III.*cap.*2. At Pedemontium qvoqve inter regni Burgundiae reliqvias ſupereſt, et ratione huius principatus Dux Sabaudiae ſortitur in Germania forum, et veniendi ius habet ad Comitia noſtratis Reipublicae, et Princeps Imperii ſalutatur. Hinc lucem accipit *Iacobus Blumius in proc. Cameral. tit* XXVII.*num.* 23. Ante qvem diu *Oct. Cacberanus* ſcripſit agnovitqve Pedemontium Imperio ſubiectum. *Martinus Zeillerus* non diſtingvit, neqve explicat cauſas modosqve diverſos, qvibus hae et aliae Ducis Sabaudi regiones continentur, *in Itinerar. Italiae cap.*1.*et* 2. Imprudenter, ut ſatis apparet. Imperite autem *ſcriptor Anonymus* apud Gramondum pronunciat, ſolum hunc Ducem Imperio teneri, ceteros Italiae Principes eſſe ſui iuris. Illud certe hic extra diſceptationem eſt, qvod Principes regni Italiae non experiantur iure in ſupremo Germaniae tribunali, nec ibi ſortiantur forum, neqve conveniri poſſint in iudicio *Auſtregarum*, in qvo tamen ius redditur *Electoribus* et aliis Principibus Germanici regni. Etſi non defuerunt hactenus, qvi ſvaderent, ut Imperio Germanico ſe innecti paterentur. Sed illi non recogitant ultima initia, nec pondeſant recte reſpublicas foedere coniunctas, et optant, qvod Italiae Principes non volent. De cetero qvoqve *Vicariatus* Imperii per Italiam diverſus eſt ab eo *Vicariatu*, qvi pertinet ſigillatim ad Sabaudiam, tanqvam portionem regni Burgundici, et diſtingvitur etiam ab utroqve *Vicariatu* Imperii per Germaniam, cui alioqvin illa portio eſt innexa. Ac priorem, eumqve latius patentem Italiae *Vicariatu* intelligere et aeſtimare licet ex conceſſionum Caeſarearum tabulis, qvae terras Italiae et partes deſignant, in qvibus ille valet, locumqve habet. Etenim non eſt generalis per univerſam Italiam, qvod *inveſtiturae* diplomata commonſtrant, et ſine dubio non porri-

gitur

gitur ad urbem Romanam, et ditionem Ecclesiasticam, ubi Pontifex Ro. Vicarii partes agit, et vel sic qvoqve fatetur et habet supremum dominium, cuius vices gerit. Sed illum Italiae *Vicariatum* DuxMantuae sibi vindicat,ac nomen titulumqve saltem *Vicarii perpetui S.R. Imperii* retinet usurpatqve. *Auctor dialog. histor. part. II. p. 258.* In qvam disceptationem non vocatur *Vicariatus* Sabaudiae specialis, atqve hanc ob causam de eo nihil actum dispositumqve est *in Capit. Leopold.* §. 4. Ne attingam nunc *Vicarios* veteres, Caesarum arbitrio passim institutos, qvorum mentio est in epistolis *Petri de Vineis*, qvi Friderici II. Imp. consilia moderatus est, et Tusciae, ducatus Spoletani, et Romangiae *Vicarios* commemoravit, *lib. II. epist. 10 lib. V. ep. 46. et lib. eodem ep. 126. 127.* Spectatqve huc diploma Rudolphi I. Habsburgii, qvo Henricum Furstenbergii Comitem vice sua constituit Rectorem Romaniolae et Maritimae, atqve vel hoc indicio Romanas Italicasqve regiones non habuit pro derelictis, multo minus expresse abalienavit. Exemplum diplomatis extat *apud* Lambecium *bibl. Vindobon. libri III. additamento octavo.* Nihil addo de regni Arelatensis *Vicario*, cuius meminit *Petrus de Vineis lib.* III. *ep. 75.* Nisi qvod inde relictum est qvoddam vestigium vicariae dignitatis, qvae complectitur Sabaudiam, qvatenus antiqvum regni Burgundici membrum. Alieni ab instituto praesenti sunt Vicarii in veteri Romanorum Imperio, *vid. Notitia Imperii Orientis cap. 122. et Notitia Occidentis cap. 48. et 57. Cassiodorus var. lib. V. cap. 15.* Qvorsum pertinet *lex C. de officio Vicarii.*

XVIII. ReliqviItaliaePrincipes vel concessu,vel consensuCaesarum ducatus ditionesqve habent. Pleriqve horum profitentur se Clientes Caesarum, atqve ab his ducatus et regiones suas lege beneficiaria capiunt et tenent. Ac qvidem de *Lombardia* tradit Petrus de Vineis, *Provinciam utiqve nobilem, et partem Romani Imperii esse pretiosam, in prima epistola libri*

qvinti. Neqve eo seciusLombardiae ducatus supremo Caesarum iure reguntur, eorumqve beneficio accipiuntur et possidentur. Inter qvos citra controversiam est Ducatus Insubricus, sive Mediolanensis, qvi a Venceslao Romanorum Rege institutus, et Ioanni Galeacio clientelari lege attributus est, qvem Ludovicus Sfortia ad Imperium pertinere dixit, et Caesari Maximiliano I. acceptum ferre voluit, atqve ex eo capite Carolus V. eum sibi asseruit et gravi de causa tabulas beneficiarias Francisco Sfortiae dare distulit, et postea reconciliato Mediolanum restituit, ac rite addixit. Qvo deinde mortuo, Caesar ducatum ad Imperii iura devolutum, titulo supremi domini vindicavit, etsi illum ex diversa causa ad se spectare contendit Franciscus I. Franciae Rex, qvi apud Ticinum victus, iuri suo in eum renunciavit. *Franciscus Gvicciardinus hist. lib.* I. XII. *et* XVI. *Antonius Maria Gratianus in Ludovico Sfortia. Paulus* Iovius *lib.* VII. *in vita Ferdinandi Davali. Martinus Bellaius commentar. lib.* III. *et* IV. *Iac. Aug. Thuanus hist. lib.* I. *Apud qvem lib. LXXXI. Noallius studio partium differit pro Francisco* I. Ab hoc tempore is ducatus Caesarum beneficio Regibus Hispaniae concessus collatusqve est, qvem iuxta cum *Marchionatu Finalis* et ditione *Senensi* patrum memoria Philippus IV. in fide et clientela Imperii tenendum tuendumqve a Ferdinando III. Caesare suscepit. *P. Piasecius in Chron. ad an. 1622.* Pertinentqve eo mandata publica de securitate Italiae promulgata, in qvibus Ferdinandus pacificus ducatum Mediolanensem appellavit *nobile suum, et sac.* Imperii *feudum,* atqve ex hac causa praecepit Francisco Mutinae Duci, ut qvamprimum cohortes militares de Mediolanensi ducatu deduceret, armaqve poneret, et nil hostile moliretur, *in scripto, cui titulus est, iustitia armorum* Imperatoriorum. Nec perite, et *incaute Georgius Hornius* Mediolanum inter *titulares* Hispani ducatus refert, *in orb. pol. part.* II. Qvem fugere non debuit,

buit, Mediolanensem principatum Caesarum semper fuisse *beneficiarium*, et ita iurasse Carolum Qvintum, *ut se de iure suo nihil decessurum testaretur. P.* Iovius *hist. lib.* XXVII. Tum vero huius ducatus antiqvae, Caesarumqve beneficio attributae partes fuere *Parmae et Placentiae urbes*, id qvod apud Iovium legitur ibidem. Neqve aliter visum est Senatoribus et iureconsultis Mediolanensibus, qvi documenta superiorum temporum, et fines Mediolanensis ducatus accurate perqvisiverunt, et re diligenter perspecta cognitaqve pronunciarunt, eas urbes omnino iure beneficiario pertinere ad Carolum V. Qvod dissimulare non potuit *Sfortia Pallavicinus*, qvamlibet sedi Romanae devinctus conductusqve scriptor, *in historia concilii Tridentini lib. XI. cap. 10. et 11* Narrat qvidem purpuratus, eam sententiam a iureconsultis Romanis fuisse oppugnatam, sed id causae Caesaris non officiebat, qvando probatum explicatumqve dederat, superiores Mediolani duces diuturna et multis rationibus roborata harum urbium possessione nixos, satis sibi constitisse, nec iure suo unqvam cessisse. Proinde Caesar Carolus V. nulla arte, nullaqve persvasione adduci potuit, ut Paulo III. annueret, filiumqve eius nothum ritu beneficiario in possessionem Parmae et Placentiae mitteret, et utriusqve ratione ducem agnosceret et confirmaret. Nam Caesar his postulatis non dedit locum, et voluit testatusqve est, salvas manere suas Imperio rationes, et hoc dissensu ac publica contradictione asseruit corroboravitqve ius, qvod cum Imperatoris, tum Ducis Mediolanensis titulo habebat. *Thuanus hist. lib. IV, VII. et XVII. H. Spondanus contin. Baron. an. 1547. num. VI.* Illud vero haud dubiis argumentis compertum est, Pontificem Romanum ea in re causaqve non potuisse haberi pro supremo Principe, qvemadmodum existimat *Pallavicinus*, ideo qvod Parma et Placentia numerantur in Aemiliae urbibus, partesqve sunt Langobardiae Cispadanae, et ad

Caesarem, ut supremum Italiae dominum spectant, atqve ab Hispanis, qva Mediolani ducibus, asseruntur antiqvae ducatus illius portiones, sine dubio repetendae, si contingat extingvi universam Farnesiorum gentem. Tum vero Pontifex ratione Romae et ditionis Ecclesiasticae Imperatori Romanorum obnoxius subiectusqve est, atqve ob hanc causam non debet appellari supremus Princeps, et qvod hinc seqvitur, non potest esse supremus iudex et arbiter, praesertim in controversia iuris beneficiarii, qvae ad Imperatorem Romanum, tanqvam supremum dominum pertinebat. XIX. Magnum Florentiae ducatum praeterire constitueram, nisi iam mihi in mentem veniret Tusciae, qvam *nobile Imperii membrum* dixit Petrus de Vineis *in qvinti libri epistola CXXVI.* At non est dubium, qvin Thusciae ambitu Etruria contineatur, et vetus Imperii portio sit, et inprimis Florentia eo loco numeroqve habeatur. Qvod probare supervacuum existimo, siqvidem respicio acta decretaqve Caroli V. qvae ad Alexandrum et Cosmum Duces pertinent, et Caesari atqve Imperio ius supremum reservant. Neqve omittendum est Maximiliani II. negotium, qvatenus ad titulum magni Ducis Cosmo attributi confirmationem spectat, qvippe qvod cum evidenti clausula et exceptione iuris Caesarei coniunctum est, et posteritati testatum facit, principatum Florentiae obnoxium devinctumqve esse Imperio, et agnoscere Imperatoris auctoritatem, *apud Iac. Aug. Thuanum lib.* IV. IIX. XVII. XLVI. *Pariter hoc attigit Natalis Comes histor. lib. XXVI. Florentiae ceteroqvin descriptio ex Fr. Gvicciardini codice detracta est, hist. lib. XIX. Cuius fortunam statusqve mutationem tradit lib. XX. et sane indicat, omnia qvae ibi gesta sunt, Caesaris praecipue auctoritate subnixa fuisse.* Iulianus Gosellinus scribit, Carolum V. Florentiae castellum vendidisse Cosmo, *in vita Ferdinandi Gonzagae p. 16.* Sed nunc qvaestio est de supremo dominio

minio Vrbis principatusqve Florentiae, qvod minime a Carolo V. abalienatum et venditum,ſed integro iure Caeſareo conceſſum Coſmo et traditum, ac deinceps qvoqve conſervatum roboratumqve fuit. Proinde Maximilianus II. Caeſar dato eam ad rem diplomate ratum habuit magni Ducis titulum, Franciſco attributum, ſed ea lege, ut confirmatio ad eum, tanqvam ad Imperii beneficiarium attineret, nec alio modo facta conceſſave intelligeretur, ut cum aperte, tum ingenue refert *Thuanus lib. LX.* Perperam G. Hornius ratione dominii Florentini *abſolutum* et nulli ſubiectum dominum nominat, *Orb.pol. part. 2.* Nihilo rectius de urbe ac ditione Piſana id affirmat, cum qvo conſentit *Io. Th. Sprenger Font.*I. *P.p. 253.* Sed ea qvoqve vera et vetus Imperii portio eſt, et Caeſarum poteſtati imperioqve tamdiu obnoxia manet, qvoad nulla *oxemptio* oſtendi poteſt ex conceſſionum tabulis, qvibus non modo ſupremum ius non alienatum, ſed etiam, ſine veteris et novi dominii Florentini diſcrimine, verbis clauſulisqve ſignificantibus a Maximiliano II. eſt reſervatum. Ditio *Senarum* clientelari iure devincta eſt Hiſpaniae regi, qvatenus Principi beneficiario in regno Italiae ob ducatum Mediolanenſem, atqve hoc interiecto, ad Imperium ſpectat, Caeſarumqve conceſſu tribuitur et poſſidetur, literisqve fiduciariis etiamnum comprobatur. Pari iure tenetur Iera Inſula, qvae *Elba* populari lingva dicitur, Hiſpanisqve eodem clientelae vinculo accepta fertur. Reliqva Mediceorum *territoria* vel proxime, vel remote, et interveniente alio, ad Imperium pertinent, et clientelam profitentur, de qvibus videantur ſcriptores paſſim, et *feudorum Italiae Index.* De *Montisferratenſi* ducatu addendum eſt, eius cauſam negotiumqve in noviſſima pace Neomagenſi fuiſſe confirmatum. §. XXXI. I*n qvantum reſpicit Inſtrum. pacis. Monaſt.* §. I*tem ne Controverſiae.* Nec modo certe,

et ibi designatae, sed omnes etiam reliqvae et illic non expressae istius ducatus partes atqve accessiones, excepto duntaxat Pignarolo, ditionis imperialis sunt, et inconsulto supremo Domino alienari, aut interverti non possunt. Qvare pacta super iis facta non intelliguntur esse valida, neqve fraudi esse qveunt Imperio, nec prius firma sunt, vimqve iuris habent, qvam a Caesare approbentur, rataqve habeantur. Qvae res maxime ad Casalin castrum ducatus huius insigne munitumqve spectat, in qvo et ius Imperii, et Caesaris auctoritas, et ipsa totius Italiae vertitur salus. Qvorsum pertinet ratio Legati Hispanici apud *Vitt. Siri Mercur lib.* II.*p.304.* XX. Tum extra controversiam in Italia Langobardorum Imperii beneficio recipiuntur et agnoscuntur *Mirandula*, *Plombinum*, *Bozzolo*, *Gvastalda*, *Sabionetta*, *Massa*, *Malespina*, *Torreglia*, *Castiglione*, *Novellara*, qvae possident Principes minores, comitesqve et Marchiones. In qvorum controversiis ad *regalia* pertinentibus supremus iudex est Caesar, et de successione dubia pronunciat ac decidit. Qvorsum spectat *adiudicatio* Caroli V. in causa Montisferratensi, constatqve seqventium Augustorum exemplis, et iure Caesareo peragitur ac declaratur. Nec solum Italiae principatus, sed etiam Italiae *vicariatus*, et annexae dignitates, negotiaqve *regalibus* coniuncta Caesarum suprema iurisdictione continentur. Ducatus Ferrariae et Vrbini qvidem Romanae sedi innexi sunt, neqve tamen ideo supremam Caesaris auctoritatem non agnoscunt. Nam ut de controversa Mathildis donatione, et acqvirendi modo, cui publice et merito contradictum est, nihil afferam, sane *directum* utriusqve ducatus dominium, Romana sedes asseruit, posteaqve *consolidavit*, non desiit ideo Caesaribus esse obnoxium propter supremum eorum dominium, qvod Pontifices non modo comiter habere, sed etiam lege *subiectionis* agno-

agnoſcere tenentur. Ducatum Ferrariae repetiit coniunxitqve Clemens IIX. Pontifex, eo qvod Caeſar Ateſtinus Alfonſi II. filius non legitimus eſſet, atqve adeo non capax ſucceſſionis iudicaretur, *apud Thuanum hiſt.* CXIX. *Vnde error temporum ab Hagemeiero admiſſus corrigi poteſt*, in *ep.* VI. *p.* 3. Sed Rudolphus II. Imp. ei natalium gratiam fecit, et Regium Lepidi Mutinamqve in regno Italiae lege beneficiaria poſſidenda attribuit, *Piaſecius Chron. an.* 1598. Nec vero propterea Rudolphus, qva Romanorum Imperator, derogavit ſupremo iuri ſuo in Exarchatum Ravennatem, cuius membrum eſt Ferrara, qvam Iulius II. ſibi ac ſedi Romanae ſubiecit, *Fr. Guicciard. hiſt. lib.* XVI. Qvod ius a me non impugnatur, dummodo ſalvo Caeſaris ſupremo dominio, prout par eſt, intelligatur. Similem in modum Vrbini ducatus ab exceſſu Franciſci Mariae ad ſedem Romanam ex capite caduci eſt devolutus *H. Spondanus cont. Baron. an.* MDCXXVI. *P. Piaſec. chron. an.* 1630. ſed contradixit Ferdinandus II. magnus Florentiae Dux, et praeter ius ex conceſſione beneficiaria Leonis X. qvaeſitum collatumqve in Laurentium Mediceum, connubii qvoqve neceſſitudinem cum ultimi ducis nepte contractam exaggeravit, dominiumqve utile huius ducatus ſibi deſtinavit. Neqve tamen hoc *directo*, et deinceps *conſolidato* ſedis Romanae dominio ſupremum ius aliunde pendens convellitur, ſed titulo et auctoritate Imperii Caeſarei retinetur, et conceſſionum auguſtarum tabulis renovatur, et non extinctum ſemper continuatur. XXI. Ad ultimum de plerisqve Italiae urbibus ditioni Imperiali obnoxiis extat *Notitia ſtatus Etruriae*, regnante Carolo Lutzelburgico confecta, qvam ex *bibliotheca Vindobonenſi edidit Petrus Lambecius lib. II. cap.* 8. Tum vero omnia, qvae Veneti in continenti Italiae poſſident, Caeſarum beneficio antiqvitus ſuſcepta et collata ſunt, atqve etiamnum hoc iure agnoſci de-

debent. Eo respexit Michael Coccinius in *libro de rebus gestis per Italiam*, qvem Imperante Maximiliano I. scripsit, et in publicum emisit.

